ELOGIA
Sepulchralia

Nonnullorum Primipilarium ;

QUÆ

Dudùm, vel nuperiùs *Schedatim* ſcripſit,

ET

Nunc, *Complexim* Typis Impreſſit Author

P.F. ex Equeſtri Familiâ Generoſus,

Necnon, tàm Collegii, quàm Campi Graduatus.

Miramur periiſſe Homines? Monumenta fatiſcunt. Auſon.
Neſcia MUSARUM *ſed Monumenta mori.* Ovid.

Engliſh'd by a Wit of the late Age.

Men tamely die, and Princes day by day
Molder to Duſt ; but BOOKS will live for aye,
And re-imbalm us in the coldeſt Clay.

LOND. MDC LXXV.
Impenſis Authoris, & in Authoris uſum ſolum
Typis exarata.

Heroi præſtantiſſimo,

Nec magis ob priſcas Majorum Ceras & Imagines,
(Franciâ, *necnon* Angliâ *luculenter Impreſſas*)
Quam Dias, & eximias Animi, Corporiſq; Dotes
Admirando, Suſpiciendo,
Illuſtriſſimo, Fortiſſimo, Conſultiſſimoq;
Satrapæ,

Generoſiſſimoq; Literarum, Lucubrationumq; Scholaſticarum
Patrono,

Eruditiſſ. GEORGIO VILLIERS

Duci, Marchioni, Comitiq;, Buckinghamiæ, *Comiti* Coventriæ ; *Vicecomiti* Villiers ; *Baroni de* Whaddon ; *Dom. de* Roos ; *Alteri ex Generoſis Majeſtatis Regiæ* Cubiliarchis, *& Regis Sanctioribus, & Secretioribus a* Conſiliis. *Occidentalis Tractûs Eboracenſium Supremo* Dom. Præfecto ; *Et Ordinis Inclytiſſimi* Georgiani *Commilitoni* ; *nupérq;* (*priuſquam liberè, ſpontanéq; reſignaverat*) *Equitum, Stabuliq; Regii* Magno Dom Magiſtro, *celeberrimiq; noſtræ Academiæ* Cantabrigiæ *Dom. Cancellario, &c.*

Hoc ELOGIUM SEPULCHRALE

Georgii *Ducis nuper* Albemarliæ, *Quem vivum perquàm Cordatè coluerat,*

Ipſi nunc Impreſſum Typis humillimè dicat, devovetq;
P. Filher *olim Militum Servicns-Major.*

ELOGIUM SEPULCHRALE

Herois quaquaversùs Invictiſſimi

GEORGII MONACHI

Ducis Albemarliæ; Comitis de Torrington; Baronis Monck de Potheridge, Beauchamp, & Teyes; Comitatûs ſui Devoniæ Dom. Præfecti; Exercituum Angliæ, Scotiæ, & Hiberniæ, Capitanei-Generalis; Alterius è Dominis Ærarii Publici Commiſſionariis; Alterius Majeſtatis Regiæ è Cubiliarchis; Alterius Sanctioribus, & Secretioribus Regis a Conſiliis; Alterius è Commilitonibus Ordinis Illuſtriſſimi Georgiani; necnon interdum Expeditionibus nupero Maritimis alterius è Thalaſſiarchis; & Equitum, Stabuliq; Regii magno ſupremoq; Dom. Magiſtro, &c.

STa Viator. Heìc ne plus ultrà figitur.
Quæris per Quem?
Per *Alcidem* nuperum, quodq; præſtat noſtrum:
Qui, poſtquàm Cælitùs, Brachio pluſquàm Mortali
A Marte Galeam, Neptunoq; Tridentem extorſerat,
(Terrâ Mariq; Triumphator)
Has *Stativas* pro cancellis *Columnas* appoſuit.

Quæris Quo Jure?
Divino; Cæſareo; Suo.

Is

Is enim Præſentior ubivis adfuit, & Interfuit
Idem publicarum Teſtis, Arbiterq; Litium.
Statuminator Gentium.
Reſtituto', noſtræ Statorq; Britanniæ :
Necnon ſub CAROLO SECUNDO primus Imperator,
Qui primus in Imperio ſtitit Carolum Secundum.

Sic audiit, audietq; Poſteris
Ter magnus Ille MONACHUS ;
Albemarliæ Dux ; *Torringtoniæ* Comes ;
Monachorum Princeps ; *Benedictorum* Prior ;
Sol Patriæ ; Soliſq; Zodiacus.

Quid ais Advena ?
Nondum contentus uno, nomen percontaris alterum ?
En! GEORGIUS eſt ; a Sanctorum Nomine, ſortitus ſuum.
Georgianus Miles. *Georgiorum* Dux. Anteſignanus Ducum.
Cappadoce, Sanctior. *Caſtrioto*, Fortior. Utroq; Fœlicior.

Ab Illuſtribus olim *Devoniæ* deſcendens Atavis,
Majorum Geſta, Majoribus Illuſtravit ;
Heſperus oriens Syderis occidentis,
Syduſq; *Familiæ* tantùm non (id temporis) *occaſuræ* ;
Ex Quâ
Filius fuit, eò forsàn natu minor,
Ut notu foret de futuro maximus.

A Cunis ad Caſtra deſignatus,
Fortunæ Ferreæ Faber aureus evaſit ;
Ingentiq; Telo Neceſſitatis, Ingentiori *Virtutis* obvians,
Imperviæ Clauſtra reſeravit Famæ. Ex-

Exutis cum Patriâ, Tyrocinii faſciis,
In Inſulâ *Rheanâ* Signifer; in *Hollandiâ* Centurio;
In *Angliâ* Tribunus; in *Hiberniâ* Strategus inclaruit;
Ubi, tàm Dextris Alitibus
Belli faces extinxit, Pacemq; conflavit,
Acſi
Ventos Vexillis, & Vexilla Geſtis antevolaverat.

A *Batavis* ubiq; Bellicoſis
In Duabus Naumachiis, *Bis* ab Illo debellatis;
Et ab inclytis omninò *Gallis*, non ſemel in fugam verſis,
Coronas meruit pluſquam *Roſtrales*;
Ad Thalaſſiarcha Tumulum ſuſpendendas tholis,
Æternitati Sacras, Suæq; Memoriæ.

A *Scotis* unà Magnanimis, & ad unum benè-Moratis,
Achillis Serta retulit, & Succeſſum,
Dum conſternatos quaquaversùs Hoſtes
Eodem Quo terruit, Eodem Tutatus ſit Enſe,
Sanante Dextrà, Quos Siniſtra ſauciaverat.

Heìc, ut diù contendens Ille *Carduus* denuò miteſceret,
Et verecundiores tutius intervireret Roſas,
Interdùm detonduit,
Undè, pacatior, & appexior indiès apparuit
Flos Ille Barbatus,
Audiitq; *Carduus* tandem *Benedictus*.

Sic nobis (haud ſine Miraculo)
Hìnc, primum Malum contigit, *Ultimumq; Remedium*,
Dum

Dum Chymicus Ille Doctor, fœlixq; Conductor
Ab *Aquilone*, de Quo nil Boni prodierat,
Omnifarium produxerat.

Pavitantis *Londini* Portas
Venit. Vidit. Vicit.
Eò formidandus omnibus, quòd formidavit neminem.
Cum *Cæsaris* nimirum famâ, Cæsaris vexit Fortunam;
Eâdemq; Cymbâ velificavit ſuæ:
Dum cum velitibus ſuis, & imbellibus omninò manipulis
Exercitui veterano fidentiùs imminens,
Ab imparibus Armis
Pluſquàm pares Armorum Leges eliſerit;
Auſpiciis adeò poſteris obſtupeſcendis,
Ut crediderint
DEUM pro *Georgio* dimicâſſe, *Georgium* pro DEO;
Utrumq; pro *Britanniâ*.

E ſublimi *Londini* Speculo
Totius *Angliæ* circumluſtrans Theatrum,
Scenam vidit ubiq; luctuoſam,
Malis temporibus, Hiſtriones planè peſſimos
Perperam perſonatos futilem, quam feciſſent Ipſi Fabulam.

Actoribus igitùr unà cum Theatro
Seperatim ſibi ſemotis,
Ad nova Populum ſpectacula pellexit
Actor Ille Modernorum maximus;
Ille *Georgius* ſuæ Genius, ac Soſpitator *Angliæ*.

Qui

Qui perdendam Monarchiæ ſervaturus Virginem,
Democratiæ Belluam perdidit Draconem :
Eoq; mirabilius
Quòd ſiccâ manu, ſine *Sanguine Draconis*
Univerſale Pharmacum confecit,
Epidaurius Publicus. *Pæon* ſalutifer.
Samaritanus miſericors.

In demulcendis crudis Regni vulneribus
Oleum poſcebat, non Acetum :
Miniſter fidus ; Imperator facilis ;
Utriuſq; Munia tàm ſcitè temperans,
Ut Imperando, totus ſervierit ;
Et ſerviendo, totus Imperaverit.

A Rege, multas reportavit Dignitates qui promeruit omnes.
Rex ab Illo poſtularet omnes, Cui negavit nullam.
In his Antithetis
Bilanx Amborum Bonitas juſto pendebat æquilibrio,
Dum fuit Alter Fidei Defenſor, Alter Fides & Fiducia Defenſoris.

Hinc Rex appellavit Illum Patrem,
Et Ille Regem viciſsim ſuum :
Nèc mirùm ſi Patrem ſuum faſſus ſit *Carolum*,
Quùm Matrem ſuam profeſſus ſit *Eccleſiam* :
Utriq;
Filius obſequens. Chriſtianus integer.
Subditus fidelis.

Qui

Qui tandem,
Poſtquàm Rempublicam diutius,& tantum non *decenniò*
Fœliciter, & fortiter adminiſtraverat;
Seq; DEO, Domum Suis, Suos Regi Commendârat:
Poſtremò
Quùm Divinis Indiciis triduò tantiſpèr ante mortem
Lætabundus aſpexerat
Unigenitum Filium nobiliſſimis Nuptiis initiatum,
Et ab Illo Fulcro Familiam de futuro ferruminandam;
Adorearum, Dignitatum, Divitiarum,
Omniumq; ſuperabundè ſatur niſi Dierum,
Ætatis Anno ſexageſimo ſecundo
Salutis ærâ Milleſimo ſexcenteſimo ſexageſimo nono,
Janiq; tertio,
Communi damno denatus eſt.

Obiit in Albaulâ *Caroli* noſtri Regiâ, Sepultuſq; fuit in Regio Sacello Weſtmonaſt. *Henrici* ſeptimi, per admodùm Reverendum, & omnifariam Eruditiſſimum, necnon tam Bello, quàm Pace fortiſſimum Familiæ ſuæ perantiquæ de *Seagrot* Anteſignanum, Dom. *JOHANNEM DOLBIN* Dom. Epiſcopum *Roſſenſem*, Ædiſq; prædictæ *Weſtmonaſt.* digniſſimum diu Decanum.

Heroi Spectatißimo,

Hæreditariiſq; Majorum Titulis
Honoratiſſimo,
Majoribus ſuiſipus autem Meritis
Perilluſtri,
Compendioſo quotquot Literarum
Theatro,
Splendidiorumq; quotquot Scientiarum
Gazophylaceo,
Earundemq; Munificentiſſimo Patrono,
Nobiliſſimo, Fortiſſimo, Conſultiſſimoq;
Domino,

D. HENRICO PIERREPONTI

Marchioni Durotrigenſium; *Comiti de* Kingſton *ſupra* Hull; *Vicecomiti* Newark; *Baroni* Pierreponti *de* Holm-Pierrepont; *Domino de* Manvers, *&* Herris; *alteriq; Dom. Sereniſſ. Regis Sanctioribus, & Secretioribus a Conſiliis, &c.*

Hanc Elegiam, Quam dudùm ſcripſerat in honorem Nobiliſſ. Henrici, *&* Mariæ, *Ipſius Liberorum, nunc Typis impreſſit, Ipſiq; Marchioni Eruditiſſimo,*

devovit Author P. F. *olim Militum Serviens Major.*

SIſte gradus; ſpecteſq; precor Memorabile Buſtum
Pignora Quod tenui Bina recondit Humo.

Aſpice

Aſpice Filiolum dulcem, lepidamq; Puellam
Abſtulit immiti Quos Libitina Manu.
Ille *Henricus* erat pulcher; pulchra Illa *Maria*;
Ambo Decus Matris, Deliciæq; Patris.
Ambo ſtirpe pares, ex Quorum Gente, Dynaſtas,
Faſq; erit Auguſtos commemoaare Duces.
Petræpontiacæ fuit Hic Pons Saxeus undæ;
Tremoüilliacis Illa reluxit Avis.
Nomina Celſa quidem Cunis, Præconis Honorum
Neſcia, Proſapiis Nobilitata Suis.
Sed proh Fata nimis Creſcentibus obvia Sertis!
Fulguraq; aëriis Exitioſa Jugis.
Garrula faſciolas nam vix Ætatula primas
Liquerat, & lepidos cuderat ore ſonos;
Quàm ſilet exanimis, primæq; in Limine lucis
Cogitur ad nigras approperare Domus.
Sic Titanis honos, Aurora, obducitur ortu,
Retrogradiſq; ruit verſa Quadriga rotis.
Sic citò collapſis langueſcunt Lilia culmis
Quæ modo lacteolas explicuere Comas;
Et Quæ Mane novo Rubuere Roſaria, pallent
Veſpere, Primitiis immoritura Suis.
Ludicra proh, vitæ cæciſq; obnoxia fatis
Stamina! nimbifero mobiliora Noto,
Unde, Hominum concuſſa ſalus, ceù vana faceſcit
Bulla, procelloſis irrequieta vadis.

Eruditißmo, Fortißimo, Generoſißimoq;

CAROLO BERTY,

Avi ſui Roberti *Com. Lindiſii, magn. Angliæ Camerarii*
Nepoti.

Patris ſui Montague *Com. Lind. magn. Angl. Camerarii*
Filio.

Fratris ſui Roberti *Com. Lind. magn. Angl. Camerarii*
Fratri.

Fratriq; (a Sorore) magno Dom. Angliæ Theſaurario,
Ipſiq; Supremo Secretario;

Gentium perluſtratori, Linguarumq; Polyglotto;

Viroq; dudùm domi, foriſq;

In Naumachiis ubiq; periculoſiſſimis

Sub Vexillo Regio Caroli ſecundi, *Centurioni,*

Et ab Illo, *nuperiùs ad potentiſſ.* Danorum *Regem*
Dom. Extraordinario Pro-Legato.

Hoc Elogium Sepulchrale

Avi Sui Nobiliſſ. dicat, devovetq;

P. F. *olim Militum Serviens-Major.*

Heic

Heic jacet Heros Ille Bellicosissimus

ROBERTUS BERTY,

Per Quem
Nutabunda semel stetit, ceciditq; *Britannia*;
Ab Illo, vicissim vitam, vulnusq; sentiens.

A Fortibus procreari Fortes,
Hic Heros illustravit sæculo,
Patrizans Filius magnanimi Patris *Peregrini*
Dom. de *Willoughby*, Baronis *Beak* & *Eresby*,
A Serenissimâ Reginâ *Elizabethâ*
Ad Regem *Danorum* Dom. Legati,
Necnon
Id Temporis Capitanei-Generalis,
Hinc, quùm desperabundi *Batavi*, conflagrante *Belgio*,
Et Illinc, Rex *Hen. Galliæ* quartus, tumultuante *Gallia*,
Ejusdem Reginæ suppetias imploraverant.

Illicèt, His Missus, & Armatus
Adfuit, Interfuit, Præfuitq;
Pugnacissimus Ille *Peregrinus*,
Et cum Militaribus (Quas in Scuto præportavit Machinis)
Hostium Muros Arietavit, Arietatos delevit,
Victor misericors, sic ubiq; præcavens,
Ut imbelles utriusq; Gentis oviculas
Bellatrices Ipsius defenderent Arietes,
Vel saltem *Virtus Ariete fortior* WILLOUGHBÆI;

Cujus Magnalia,
Si noſtri denuò conticeſcerent Annales,
In Threnodiis Senes,
Canticiſq; Pueri memorarent Poſteri.

Hunc habuit ROBERTUS Genitorem.
Nec fas fuit
Ut de minore Parente in mundi prodieret Theatrum
Actor Ille deinde Maximus:
Paternæ Famæ par Hæres, ac Fortunæ,
Sed Honorum fœlicior ſane Fœnerator.
Enimverò
Evaſit, exceſſitq; culminans Ille ROBERTUS.
Comes *Lindiſii*; Dom. *Willoughby*; Baro *Beak*, & *Eresby*;
Hæreditariò Magnus *Angliæ* Camerarius;
Periſcelidis Ord. illuſtriſſ. perilluſtris Eques;
A Sanctiorib. Reg. Conſil. unus, & tantum non inſtar omnium;
Semel Supremus *Angliæ* Conſtabularius;
Bis *Anglicanæ* Claſſis Admirallus;
Omnium deniq; ſub Auguſto CAROLO Copiarum
Imperator primus, ſecunduſq; nemini.

Eundem perexcellentem Generaliſſimi titulum
Præclarè tenuit, & ad mortem ſalvum retinuit;
Suamq; Mortem pro Regis vitâ
Sexagenarius accelerans,
Octobris 23. MDCXLII. in campo fatali *Kaintoniæ*
(Britanniæq; planè *Pharſalico*)
A Bombardæ ferreo percuſſus Globo, conceſſit:
Plumbeo vulgarive non debuit

Im-

Imperator Ille pluſquam Romanus,
Qui
(Vitâ carò venditâ, nec emptâ vili victoriâ)
Tanquàm Quercus
Inter lætantes Laurus, & flentes Cupreſſus,
Ibidem ſtando, gloriosè cecidit:
Invulnerabilem
Chriſtianiſſimæ virtutis ſuæ Panopleam
Paludatis Europæ Ducibus induendam,
Famam poſteris, *Caroliſtis* Fidem, Genium Filiis
Elargitus.
Et certè Filios habuit complures;
Prolem numeroſam, quando plus eſt, omninò Nobilem;
Liberos Illi nimirùm Tredecim,
Viz. *Montacutum*
Comitem Lindiſii; Dom. Willoughby; Baronem
Beak & Eresby; hæreditariò magn. *Angliæ* Camerarium, &c.
Mox *Rogerum*, *Peregrinum*, *Franciſcum*, *Robertum*,
Henricum, *Verum*, *Edoardum*,
Cum *Catharinâ*, *Elizabethâ*, *Annâ*, *Sophiâ*, *Mariâ*
Uxor Ejus *Elizabetha*
(*Edoardi* Baronis Boughtonii Filia)
In futura Familiæ ſuæ Columina
Fœcunda peperit.

Et ſic Liberorum laudum, Laurorum,
Humanæq; ſœlicitatis abundè Satur,
Curſu peracto, Militiâq; gloriosè confectâ,
Sub hoc pulvere Mortales depoſuit exuvias,
Eaſdem deinceps induiturus Immortales.

Ec-

Eccleſiæ nuperò militantis, hodiéq; triumphantis
Teſti diù Præſentiſſimo;

Fidei, ac Fortitudinis ſpectatæ, tam Campo *quam* Collegio
Exemplo longè probatiſſimo,

Et utriuſq; *(quùm vel Impubis) egregiè Graduato,*

Præſuli *plurimùm Reverendo, necnon ubivis Venerando,*

Eruditiſſimo, Pientiſſimo, Humaniſſimo

Dom. Petro Mewes,

Diù Legum Cæſarearum, Theologiæq; Doctori;
Diù Coll. D. Bapt. Johannenſis Ox. *perquam dilecto* Præſidi;
Perq; Quadrennium *celeber. Univerſ. perquam digno* Procancellario,
Diù Cathedralis Eccleſiæ Windeſoriæ Præbendario,
Et Sereniſſimæ Regiæ Majeſtatis, a Sacris.
Dudùm Eccleſiæ Roffenſis Decano,
Præſentiq; Diœceſeos Bathonenſis, *&* Wellenſis
Digniſſ. Dom. Epiſcopo.

Hoc Elogium Sepulchrale *Nobiliſſ.* Montacuti *Com.* Lindiſii, *ſub cujus Vexillo pro ſalvo Regis Corporis Satellitio quondàm* Centurio Primipilaris *meruerat,*

Officiosè dicat, devovetq; Cultor Ipſius obſequentiſſimus

P. F. *olim Militum Serviens-Major.*

ELO-

ELOGIUM SEPULCHRALE

Nobiliſſimi, Conſultiſſimi, Fortiſſimiq; Satrapæ

MONTACUTI BERTY

(Primogeniti Roberti)

Comitis Lindiſii ; *Domini* Willoughby ; *Baronis de* Beak, *&* Eresby ; *Jure Hæreditario, magni* Angliæ *Domini* Camerarii ; *Alterius è Generoſis Cubiliarchis ad Sereniſſ. Majeſtatem* Caroli *primi* ; *Et (æſtuante per* Angliam *Bello) pro ſalvo Regii Corporis Satellitio, magni Principaliſq; Tribuni ; utriuſq; Regis, Sanctioribus, & Secretioribus a Conſiliis ; Ordinis antiquiſſimi de* Balneis, *Equitis Aurati ; Ordiniſq; nobiliſſimi* Georgiani, *Commilitonis, &c.*

ET heìc Lector, ſub eodem componitur pulvere
Inclytiſſimus Ille ſui ſæculi Satrapa
MONTACUTUS BERTY ;
Perquàm dignus Filius, qui tàm digno Patri ſuccederet :
Qui ſub eodem campo *Kaintoniano*
Metempſycosè, de ſpiranti Genitoris Trunco
(Quem collapſum diù fortiſſime defenderat)
Divinas Dotes imbibit ;
Et indè plures Poſteris proſeminaret *Robertos*,
Heroinam *Martham*
Nobiliſſimi tunc Comitis *Holderneſſii* viduam
Primam duxit in Uxorem. Per

Per Quam,
Luculentam ſanè, lautamq; Sobolem ſuſcepit :
ROBERTUM
Com. *Lindiſii*, Dom. *Willoughby*, Baronem *Beak* & *Erſeby*, &c.
Hæreditariò Magnum *Angliæ* Camerarium, &c.
Ipſiuſq; Fratres
Peregrinum, *Richardum*, *Verum*, *Carolumq;*
Cum *Elizabethâ*, *Bridgettâ*, *Catharinâ* :
Ut utroq; ſexu coronatam *Montacuti* Menſam
Ambirent unà, Procaces *Laurus*, ac *Olivæ*.

In ſecundam duxit Uxorem BRIDGETTAM WRAY
Baroniſſam de *Ricot*, &c.
(Honorabilis *Edoardi Sackvillii* viduam)
Quæ
Jacobum Dom. *Norreis*, Baronem de *Ricot*, &c.
Ac *Edoardum*, *Henricum*, *Mariamq;*
Secundi Solamina Conjugii
Marito ſuo tulit *Montacuto* :
Qui
Cum *Roberto* Patre, *Marthâq;* Conjuge
Sub hâc Marmoreâ coopertus, quieſcit culcitrâ :
Ipſius Conjugis autem *Bridgettæ* Cineres,
Apud avitam ſuam *Norreiſeorum* collati Gentem
In Ipſorum magnifico *Weſtmonaſterii* Monumento,
Unà miſcentur.

Et ſic, pluſquàm Semel Beatus
Eminuit Pater Ille Bigamus :

Et

Et de Binarum Conjugum Prole Biſſenâ,
Perantiquàm majorum Domum
Novo conſtellavit Zodiaco,
Proq; duodecim Signis, *duodenâ Sobole*, ſupplevit.

Hinc *Atlante* Magno, Major Ille *Montacutus*,
Splendidiorem *Bertiadum*
Unà fecit, ſuffulſitq; Globum;
Vel ipſo prænomine, Patriis *Promontorium* Penatibus.

Et Ille proculdubiò futuris ſtabit Pharus Nepotibus;
Tranſcendens Comes; condeſcendendo Chriſtianus;
Uniformis Heros; Homo Quadratus,
Cardinalium par *Honorum* compos, ac *Virtutum*;
Aulicus apprimè *Juſtus*; Paterfamilias approbatè *Prudens*;
In Salutem, *Temperans* vitæ; In Exemplum, *Fortis* ad Mortem.

Idcircò non immeritò, præter prædicta Munia,
Salvo Regii Corporis Satellitio
Tribunus omnium Supremus Præfuit:
Idemq; Corpus, proh conſtantiam!
Quod multotiès inter Tela, Turmaſq; ſoſpes ſtipaverat,
A Perduellibus demùm vitâ ſpoliatum
Intrepidus Ipſe
(Tribus tantiſpèr aſſiſtentibus Ipſi Satrapis)
Excepit pallidum;
Suffuſoq; Lachrymarum Balſamo delibutum,
Tumulo Commiſit.

Et Indiès ab Illo Tempore
Ad Tumulum pedetentìm proceſſit proprium ;
Nec multò longiùs quam tria luſtra
Invitus, Regi ſuo ſuperſtes *Carolo*,
Ærâ Salutis MDCLXVI, *Julii* 25. Ætatis ſuæ LIX.
En ! Duorum Decus, & deliciæ Regum ;
Duorum Charus Maritus Conjugum ;
Duodecim Pater indulgens Liberorum ;
Duodecim Fratrum, Sororumq; Frater integer ;
Bonorumq; quotquot dolor, vel ſaltèm Deſiderium ;
Permemorabilis Ille *Montacutus*
Immigravit Mortuos,
Vel heìc etiam digniſſimus, in Æternum vivere.

Optimis, & Amantiſſimis ſuorum Parentibus,
***Peregrinus*, *Richardus*, *Verus*, *Caroluſq*;**
Filii, necnon Exequtores ſupremi Patris Teſtamenti,

Hoc, in Avi, Patris, Matriſq; Memoriam, poſuerunt Monumentum,
Ubertìm Flentes,
Et cùm Sympathetico ſempèr fleturi Marmore.

Satra.

SATRAPÆ

Perquam priſcis Majorum Scutis & Membranis
(tum Ceſtriâ, *tum* Wiltonia *numerandis)*
Prænobili,

Suiſq; verò Meritis acquiſitis, & Virtutibus innatis,
Illuſtri,

Eruditiſſimo, Generoſiſſimo, Conſultiſſimoq;

Dom. HENRICO

Comiti de Clarendon, *Vicecomiti de* Cornbury,
Baroni Hide *de* Hinton,

Et ad Sereniſſimam Majeſtatem Reginæ Catharinæ
Dom. Camerario, *Ipſiq; a Secretis, & Sanctioribus, & Secretioribus a* Conſiliis.

Religionis Avitæ, Rerumq; Publicarum
Propugnatori pluſquam Privato,

Necon
Ad exemplar Eruditiſſimi Patris Comitis Edoardi
(Primiq; nuperiùs Angliæ *Magni Cancellarii)*
Literarum, Literatorumq;
Munificentiſſimo Mecænati.

Hoc Ipſius Sororis *Elogium Sepulchrale*

Maximâ cum Fide, fucoq; quàm minimo elucubratum,
In Animi gratiſſimi Teſſeram
Verecundè D.D.

P. F. *olim Militum Serviens-Major.*

MEMORIÆ SACRUM

Illuſtriſſimæ, Venuſtiſſimæq; Duciſſæ

ANNÆ

Nuperò Conjugis Illuſtriſſimis Principis

JACOBI

Ducis Eboracenſium, &c.

Quæ diù Valetudinaria, tandèm menſe *Sextilis* MDCLXXI. Fato conceſſit; Ipſius ante mortem *Tribus continuò diebus*, a Ventis, & inſolita Pluviâ, Lachrymante Cœlo, ſuſpiranteq; Terrâ.

Non eſt, *Aſtrologe*,
Cur turbatum, tabidumq; nuperò Cauſere Cœlum;
Vel cur ultrà mireris, quòd ſympatheticum Sydus
Illachrymatis Terras irroravit Imbribus.
En! ab Orbe Stella deſcivit Britannico;
Stella Magnitudinis, Formæq; primariæ,
Suâq; Sphæra, nemini ſecundæ.

Nec eſt, *Mathematice*, cur auderes in Poſterum
Altitudinem Magnatum Tubulis attingere,
Quum ſit effractum Celſi *Baculum* JACOBI,
Et ſub hoc pulvere jaceant cooperta Fragmina
ANNÆ nuperò qualis DUCISSÆ!

ANNÆ,
Ter Auguſti Britanniarum Regis
A Fratre ſuo, *Sororis*.

ANNÆ,

ANNÆ,
Ter Illuſtris *Jacobi* Ducis Eboracenſium
A Conjugio ſuo, *Conſortis.*
ANNÆ,
Satrapæ conſultiſſ. *Edoardi* Comitis *Clarindon* clariſſimi
Filiæ natu, notuq; maximæ.

Illa nimirùm fuit perilluſtris ANNA,
Quæ Formæ venuſtatem, Virtutum ſplendore
Superavit,
Sic Dotes Titulos, & ſic Titulos Dotibus accendens,
Ut utrùm plus lucis ab Aulâ reportaverit,
Aulæve denuò reliquerit,
Prævaricentur Poſteri.

Tanti fuit in Polo *Carolino* CASSIOPEIA nupera,
Quæ nec Foris ſub obſcuriori Sydere
Radiolos in contemptum, contraxit,
Nec Domi, ſub clariori,
Flammas in terrorem, diſtendit:
Heroinâ,
Tàm compoſiti ſub utroq; Sydere, Sorteq; Temperamenti,
Ut in magnifico ſtatu ſe geſſerit minorem,
Et in minori, præ cæteris decorè magnificam;
Nunquàm ſibi, ſuiſq; diſſimilem.

Nec Majeſtatem minuit Humilitas,
Nec Humilitati Majeſtas detraxit:
Fuit nimirùm Fœmina

Paren-

Parentibus ſuis, & Eccleſiæ Patribus, obſequens Filia;
Marito Suo, perchara Conjux;
Liberis Suis, perindulgens Mater;
Fratribus Suis, perjucunda Soror;
Servis Suis, Domina perquàm munifica;
Indulgens omnibus, niſi Vitiis,
Obnoxia ſolùm malevolè ſuperbis;
Et idcircò forſan a nonnullis habebatur odio,
Quòd non ad Meritum potuit peramari.

Sed tandèm Virtus, Veritaſq; fortior
Vecordem vicit, & delevit Invidiam;
Et ogganientium maleferiatorum peracuta ſpicula
In Ipſorum Guttura retrotorſit:
Dum perilluſtris Illa Fœmina
Uſq; Famæ ſuæ, Fideiq; defæcatæ memor,
Illimis Religionis Elementa Quæ cum lacte ſuxerat
Intaminata vel adùſq; Tumulum detulerit;
Tandémq; ſub Meridionalis vitæ ſuæ Crepuſculo
Ab ærumnoſo Curarum manumiſſa Carcere,
Cœli Municeps,
In Sanctorum Synedriam cooptata, ſeceſſerit.

Obiit in Aulâ *Caroli* noſtri, dudùm Cœnobio Sancto *Jacobo* dicato; undè, Corpus delatum eſt ad Ædem *Weſtmonſt.* & illic in Sacello *Hen.7.* inter Reges, Reginaſq; Sepultum eſt, per admodùm Reverendum, & omnifariàm Eruditiſſ. ſuæq; per antiquæ Familiæ de *Segrot*, Principem, Dom. *Johannem Dolbin* Dom. Epiſcopum *Roffenſem*, necnon Ædis dictæ digniſſimum diù Decanum, &c.

Satraparum noſtri Syderis Eruditiſſimo,
Eruditiſſimorum quotquot Humaniſſimo,
Complexîmq; capaciſſimo,
Artium, Scientiarumq; Nobiliorum
Theatro,
Earumq; Generoſiſſimo Munificentiſſimoq;
Mecænati,

D. GULIELMO CAVENDISCO

Comiti Devoniæ, *Domino* Cavendiſco,
Baroni de Hardwick;
Ordinis antiquiſſ. de Balneis *Eq. Aurato*;
Comitatûs ſui Derbienſis *ſupremo*
Domino Præfecto,
Et perantiqui Municipii de Derby
Supremo Dom. Seneſcallo, Ipſiq;
perquàm Benigno Benefactori;
Satrapæq;
Suæ Nobiliſſimæ Familiæ
Eximio Ornamento,
Et in Britanniæ *Zodiaco, Splendidiſſimo*
Literarum Luminari.

Hoc Elogium Sepulchrale
Humillimè dicat, devovetq;
P. F. *olim Militum Serviens-Major.*

Juſta Sepulchralia

Memoriæ Sacra præſtantiſſimi Juvenis

CAROLI CAVENDISH,

Ærâ Salutis Humanæ MDCLXXI, ætatiſq; ſuæ XV.
Febri, prærepti.

Gradum Viator cohibe;
Et ſi Tibi Cordi ſit manca Mortalitatis intueri Tropæa,
Hùc contemplabundus accede.

Si Juvenis ſis, Qui Nobiles has exuvias aſpicis,
Cavendo, Diſce
Quàm ſit æquè communis Heroum, Plebeiorumq; Cataſtaſis.
Sin Silicernium ſis,
Ut non niſi Perſpicillis, Fati volumen inſpexeris,
Diſcendo, Cave
Ne dùm coràm Sortis recordatus Alienæ,
Obliviſcaris, a Tergo vel Tuæ.

Plura Mortalitatis Documenta
Si mens ſit ediſcere,
En! ab ore fleturientis hujuſce Marmoris
Edocebere
Quòd Mors Cantharidum de more
Flores invadat, & devenuſtet amœniſſimos,
Et quam ſæpè Rivales Roſis arrogantiùs interſint Urticæ,
Lauruiq; comes lugubris Cupreſſus.

Hodie

Hodiè ſcilicèt in hoc Sacello
Juxtà Majorum Cinerantium Cedros, Cupreſſuſq; conditur,
Non modò Roſarum, Lauruumq; faſciculus,
Sed Ipſum Vectigale veris Florilegium;
Flos Juvenum, Corolla Florum;
Charitum Comes, Coryphæus Comitum;
Aviæ Corculum, Parentum Medulla
CAROLUS CAVENDISCUS.

Honorabilis Ille CAROLUS
GULIELMI clariſſimi Comitis *Devoniæ*
(Comitumq; quotquot Eruditiſſimi, eruditis Indulgentiſſimi)
Filius natu minor, notuq; tantùm non maximus:
Quippe
Quum vix Trium luſtrorum Stadia peragraverat
Implumem Pueritiam
Pennatis Animi Dotibus, multis Paraſangis anteceſſit;
Impubis Puer; Ephæbus Senex;
Naturæ Stupor; Ætatulæ Portentum.

Sed rarò (Fruges ſicutì Serotinæ)
Præcoces *Aprilis* diurnant Primitiæ.
Dùm feſtinans Ille Surculus Qui ſic in ſpem Cedri culminaverat,
Per inclementiam Syderis infœlicis
Tenellis eheu! Radicibus avulſus excidit,
Maturiores Æſtatis fructus
Non permiſſus Patriæ ſuæ perſolvere
Quos nimiùm fœlices Illi floſculi
Vere ſuo malefidè promiſerant.

Sic insignis Ille *Carolus*, Deliciæ Cœli, Nomenq; Regum;
Gemma non coctili concredenda Tabernaculo,
In tutius asciscitur reponenda Gazophylaceum,
Ariadneâ Gemma Nobilior *Coronâ*.

Angliæ Gaudete vos Indigenæ, novo fruituri *Phosphoro*;
Et Tu *Soror Insularis*, exulta Patriis emancipanda Tenebris;
En! Cynosura Gemino lucescit Horizonti,
Plaustri Stella supplementalis *Carolini*;
Carolus, Pleiadum Choro superadditus *Heptarchicho*,
Octavumq; Mundi *Britannici* Miraculum.

Progredere nunc quò vis Viator,
Et si Quem *Carolo* Parem fortuitò Terris offenderis,
Dic Quibus in Terris, & eris mihi Magnus Apollo.

Ut pretiosissima Memoria Juvenis Hujus amœnissimi, fragrantiùs ac diffusiùs per totum spargeretur orbem;

Hoc Elogium Sepulchrale,

dudum scriptum, Typis tandèm publicis exarandum curavit, Author

P.F. olim Militum Serviens-Major.

Inter

Inter Equestres sui Temporis ordines
(Sub Imperatoris Secundi Ferdinandi *Diplomate)*
Militi verè Primipilari,
Et tam Majorum Ceris ac Membranis,
Quàm propriis Meritis, domi, foriſq;
Inſigniter Honorabili,
Librorum pariter ac Hominum Lectori;
Regionum, Perluſtratori; Linguarum, Polyglotto;
Eruditiſſimo, Conſultiſſimo, Generoſiſſimoq;

Dom. PATRICIO MULEDY,

Syderis ſui Lagenienſis, Hibernici,
Necnon quaquaversùs Europææ *Regionis*
Diutiùs Ornamento:
Idcirco perquam commodè
Ad potentiſſimos Europæ *Principes*
Multotiès Oratori;
Noviſſimeq; ab Hiſpaniarum *Rege Catholico*
Ad Britanniarum *Reg. Sereniſ.* Carolum ſecundum;
& rurſus ab Illo miſſo & amandato
Ad Hiſpaniam, *repetitis Legationibus,*
Extraordinariè, Bis *Domino Prolegato, &c.*

Viroq;
Literarum, Literatorumq; Fautori perquàm Munifico,

Hoc EPITAPHIUM *chariſſimi ſui Compatriotæ,*
Cognatiq; Dom. CAROLI MACARTI,
(Ipſius ſuaſu jamdudùm ſcriptum, benevolèq; acceptum)
In Animi Grati Teſſeram
Dicto Nobili MULEDÆO,
Dicat, devovetq; P.F. *olim Militum Servieus-Major.*

Diis Manibus CAROLI MACARTI

Vicecomitis Muſcry, &c.

In illâ fatali Naumachiâ *Julii* 4. MDCLXV,
Cœlo tralati.

Legite, Qui tranſitis, & colligite
Quis, & Quantuplex ſub hoc pulvere comprimitur.
Plures nimirùm Sciſſiles Heroum ſurculos
Ex hâc unâ diſcindatis Arbore:
Quòd Is Heros
In cæterorum Sylvâ Satraparum
Tanquam Cedrus eminuerit;
Procerus Ille Sui Syderis Anteſignanus,
CAROLUS MACARTUS.

Magnus Ille *Macartus*,
Vir ſingulus, Idemq; ſingularis;
Unus, idemq; multiplex:
Celeberrimæ *Blarniæ* (Sedis Avitæ) Spes & Columna.
Vetuſti Comitatûs de *Muſcry*, non novus Vicecomes.
Bellicoſi Patris ſui *Glencartiæ* Comitis, Hæres Patrizans.
Soceri ſui Marchionis *Clanriccardiæ*, fœlix Pro-filius.
Avunculi ſui Ducis *Ormoniæ*, charus Conſobrinus.
Heri ſui Ducis *Eboracenſis*, fidus Frotocamerarius.
Domini ſui *Caroli Regis*, alter ex deliciis;
Eheu! cum Titulis, totus ſub hâc terrâ tegitur,
Cujus Geſta minùs Titularia, quia pluſquam terreſtria
Vix tota quidèm *Britannia* complectitur.

Hi-

Hibernia Fortium Vagina Militum,
Ibiq; *Momonia* ſuperfuſæ fœcunditatis mater,
Molliculas in Cunis vagienti *Carolo*
Mammas admovit.

Enodem Gracilis Pueritiæ Corticem
Ibidèm, Patria
Literarum primulis inolevit elementis ;
Subindè *Galliâ*
Moribus amœniſſimis, & adamuſsim perpolitis
Lævigavit, erudiit,
Eruditumq; Muniis Militaribus admiſit ; immò præfecit ;
Undè, culminatrix Ipſius virtus, & prodigiosè velox
(Vix pullulantibus Superinduta penniculis)
Eò, brevi provolaverat,
Ut niſi Victrix ſui verecundia,
Et ſpes ſuſurratrix majora pro *Carolo* ſuſcipiendi
Aliorsim devocâſſent,
Hypoſtrategus alter *Galliarum*, vel invitus, evaſiſſet.

Sed quum deploratæ *Carolidum* Res indiès
In pejus ubiq; vergerent ;
Et tandèm Rex Ipſe *Carolus* cogeretur *Galliâ*
Tantùm non exulare :
Illicò Prænobilis Ille *Vicecomes*,
Conſtanſq; Regiarum *Comes* Calamitatum,
Seipſum, Sarcinamq; colligens ;

Pede-

Pedestres Copias Illas *Hyberno-Britannicas*
Ex Volonibus, virisq; Primipilaribus compaginatas,
In *Flandriam*, secum, consultò transtulit :
Nimirùm Famam, Fidem, Fortunasq;
Puduit ulteriùs in alieno periclitari Regno,
Dum *Carolus* infœlix privaretur suo.

Apud Humaniores abinde Conviva *Belgas*,
Pro Rege *Catholico*, sub Duce merens *Eboraco*,
Chiliarcha Præminuit :
Idem verò periculorum, laborumq; particeps ;
In Excubiis, Miles. In Foro, Civis. In Curiis, Consul.
In Castris, Tribunus ;
Meritis Cujus, ac Muneribus omnifariàm diffusis,
Obæratum sese præsens ingenuè fatebitur,
Nec solvendo par, Posterum, diluet, aut delebit seculum.

Rege demùm Restaurato, Redux, in *Angliam* remigravit ;
Et in Aulâ Regis (stellanti Procerum Zodiaco)
Primariæ Stella Magnitudinis illuxit.
Cujus Radii
Ne tàm diù Singuli, cœlibesq; tandèm torpescerent,
Et (prout nictantes Igniculi sub cæco consopiti cinere)
Scintillatim suis extinguerentur :
Oppidò sanè cum Pleno-lunari *Cassiopeiâ*,
Hæreditrici-filiâ Marchionis *Clanriccardiæ* Clarissimi
Jubara sua conjunxit.
Ex quâ Geniali Syderum, Planetarumq; Conjunctione,
Syderea Conjux, Bis Illi puerpera,

Pul-

Pulcherrimum Filium, Filiamq;
Stellarum Pares enixa est.

Sed quàm vitrea sit splendescentis Fortunæ fœlicitas,
Edocuit Occidens Ille nunc *Carolus*,
Tanquàm Mane suo Mortalitatis amictus exuens,
Et in ipsâ vitæ suæ *prœmeridie* vesperascens.

Terra veruntamèn
Quæ toties audiit Triumphorum Scena,
Lugubre noluit Theatrum subaudire,
Ut *Illic*, ubi tot actæ, Transactæq; Victoriæ,
Catastasi crudâ clauderentur.

Idcircò *Divina Potentia* Quæ ludit in Humanis,
Alibì mox Serios & illætabiles apparatura Ludos
A Terris, ad Oceanum
Transversam Scenam detorsit.

Ubi,
Quum Magnanimus Ille *Carolus* (uno sisti nescius elemento)
Progressus fecerat,
Contraq; formidabilem *Batavorum* Classem
Unà cum Duce suo Thalassiarchâ
Strenuò dimicaverat;

Timida Mors è longinquò missa, percussit eminùs,
Quem non ausus Ipse *Gradivus Hector* adoriri eominùs,
Congressu minor *Achilli-Carolo.*

Et sic alioquìn Ille forsan Immortalis Heros,
Solum-

Solummodò
Bombardæ *Grandiori* confoſſus *Globo*, ſuccubuit:
Minori, non debuit,
Qui ſtantis adinſtar Imperatoris decorè cecidit;
Et in ipſiſſimo Veſtibulo Mortis
De *Ducis* vitâ ſollicitus pluſquàm de ſuâ,
Animam DEO, a DEO datam,
Regi debitam, *Duci* devotam, *Patriæ* depoſitam
Dimiſit ablegavit.

Occidit in illâ Memorabili Naumachiâ *July* 4. MDCLXV. & Sepultus eſt *Weſtmonaſt.* in Sacello Regio *Henrici* Septimi, per plurimùm Reverendum Præſulem, juxtimq; Venerandum, univerſaliſq; Literaturæ Magiſtrum, pariter ac Patronum, Dom. *Johannem Dolbin*, antiquiſſimè de *Seagrot* hæreditalem Dominum; Diœceſeos, Ædiſq; *Roffenſis* apud *Cantium* Dom. Epiſcopum; necnon Ædis *Weſtmonaſt.* Divo *Petro* dicatæ, digniſſimum diù Decanum.

Magni

Magni nuperò Genitoris
Præsentißimo Supplemento,
Heroi,
Nobiliſsimo, & Animi, Corporiſq; dotibus
Ornatißimo,
Dom. EDOARDO MONTAGU
Comiti de Sandwich, *Vicecomiti de* Hinchinbrook,
Baroni de Sancto Neotes, *&c.*
Patriæ ſuæ Familiæq; Spei ampliſsimæ;
Filioq; natu maximo & Hæredi ampliſsimo,
Satrapæ nobis, & Poſteris perennandi,
Heroicæq; Maximæq; Magnanimitatis Exempli
Edoardi *nuperò Comitis de* Sandwiche,
Beatißimæq; nobis, Nepotibuſq;
Memoriæ.

Ad Quam perpetuandam;
Hoc Ipſius Elogium Typis iterum redintegravit,
Et Ejus dicto Filio & Hæredi ſuperſtiti
Nobiliſſimo Edoardo, *Comiti de* Sandwich, *&c.*
Officiosè, dicat, devovetq;

P. F. *olim Militum Serviens-Major.*

MEMORIÆ SACRUM

Ter Honorabilis Heroi *Edoardi* Comitis de *Sandwich*; Vicecomitis *Hinchinbrook*; Baronis *Montagu* de Sancto *Neotes*; Regis Sanctioribus, & Secretioribus a Conſiliis; *Angliæ* Viceadmiralli; Freti *Britannici*, Thalaſſiarchæ; Ordinis Illuſtriſſimi *Georgiani*, Commilitonis, &c. Qui *Maii* 28. MDCLXXII. in Illâ fatali Naumachiâ ſublatus eſt.

Heìc tandèm
Pòſt nuperùm Naufragium tutiſſimum reperiit Portam
Inclytiſſimus Heros Ille
Naſcendo magnus; Vivendo Major; Moriendo Maximus
Edoardus Montacutus Comes *Sandovici*, &c.
Mirandum par Fati, Fortunæq; Spectaculum,
Necnon dolendum; ſub utroq; Ludibrium:
Vir ambuſtus ab Ignibus; Idemq; ſuffocatus ab Undis;
Semel Mortuus; Bis Sepultus.

Pudebat Pelagus, diutiùs Illius detinere Corpus,
Pro Quo, tàm fortiter efflârat Animam:
Tunc ſolummodò Mare dixeris *Injuriosè Clauſum*,
Dum tantum celârat Depoſitum,
Tunc *Juſtè Liberum*,
Quùm tumulandum Terræ redonaverat.

Tamèt-

Tamètſi Quod heìc cernis, flecturiens deſudat Marmor,
Incapax Illius Memoriæ Monumentum,
Cujus vel Cadaveri
Non tota *Thetis* ſuffecit in Cœmiterium.

Genus inquiris ?
Angliæ, *Franciæq*; fidos Annales conſule,
Vel certiùs inclytiſſimos Illos *Boughtonii* Barones
Ipſis fidem daturos Annalibus.
Ab hoc Sydere, ſuboriens Sol
Illuſtrium majorum Radios, Rivalibus accendit ;
Stellatus Ille non plus Honorum *Comes* quàm Virtutum.
Hic enim Satrapa Scientiarum Candidatus,
Artes Liberales, eò, Votivas ſibi devinxit,
Ut a Mechanicorum Sordibus emanciparet :
Vir ingenii Compti ; Genii, Vultûſq; perjucundi ;
Sæculi Decus, Suorum Deliciæ.

Geſtorum velis Compendium ?
En ! e Primis, fuit Ille Palinurus
Qui Claſſem *Britannicam* reduxit Regi, Regemq; *Britanniæ*;
Primuſq; Qui ſub Ipſius Diplomate
Viceadmirallus evaſit.
Primus fuit
Qui totius *Olyſſiponæ* delicias duxit in *Londinum*,
Hùc, Quùm Sereniſſimam conduxit *Catharinam*.
Noviſſimuſq; fuit
Qui tunc *Hiſpaniam* firmiùs agglutinavit *Angliæ*,
Quum *Luſitaniam* conciliaverat *Hiſpaniæ* :

Illuſtriſſimus ad unius Regnum *Legatus*,
Fœliciſſimuſq; *Statuminator* Alterius.

Deniq; ſi de fine, fatoq; quid dubites,
Edoceberis
Neminem Mortalium fortiùs in pugnâ perſtitiſſe,
Nec poſt pugnam, Generoſiùs expirâſſe.
Is enim perquàm magnanimus fuit Ille Viceadmirallus,
Qui diù *Solus*, tot Fulminum, Flammarumq; rabiem ſuſtinuit:
Quiq; quum ſe penes erat ſeminecem vitam ſervare,
Obnixè Rogatus, noluit ſemuſtam navem deſerere.
Glorioſus Miles, Idemq; Martyr;
Holocauſtum, Navi, ſuccumbens ac Neptuno:
Emergente verò
Salvâ famâ, Superſtiteq; victoriâ;
Illius Morte, ſupremum Maris determinante Dominium;
Pugnâ, cum *Montacuto* ſimul incœptâ, propemodòq; conſum-
I, nunc quò vis Viator, [matâ.
Et unâ, *Pacato Pelago*, Manibuſq; gratulere *Montacutis*.

Pòſt paucos dies Repertum tandèm corpus, & ab Oceano deductum, cum pompâ celeberrimâ *Julii* die tertio MDCLXXII. ad ædem *Weſtmonaſterienſ.* delatum eſt, & illic in *Henrici* ſept. Sacello Sepultum eſt per admodùm Reverendum, omnifariam Eruditiſſimum, Familiæq; ſuæ perantiquæ de *Seagrot* in Agro de *Denbigh* non vulgare ornamentum, D. JOHANNEM DOLBIN Dom. Epiſcopum *Roffenſem*, Ædiſq; dictæ *Weſtmonaſt.* digniſſimum diù Decanum. *Viro*

VIRO

Titulis Hæreditariis Honorabili,
Propriiſq; Meritis acquiſitis domi, foriſq; Illuſtri,
Dom. JACOBO LANGHAM
de Cottesbrook Northantonienſium
Militi ac Baronetto.
Nuperiùs in Angliæ *Supremo Parliamento*
Senatori.
Capite, Columniq; Familiæ ſuæ
A Progenitorum Ceris, & Inſigniis jamdudùm Claræ,
Et a ſecundis Ipſius Nobiliſſimis Nuptiis
Hodiè Clariſſimæ.
Attici Sermonis, & Eloquentiæ pluſquàm Romanæ
Mellitiſſimo Favo, Favorumq; Promuſcondo;
Literarumq; quotquot Nobiliorum
Luminari, &c.

Necnon dicti Baronetti Jacobi
Fratribus Sanguine fraterrimis,
Et Affinitate virtutum Conjunctiſſimis,
Eruditiſſimo Dom. Gulielmo Langham *Eq. Aurato,*
In occultis Phyſicæ, Philoſophiæq; Fodinis
Indagatori diù fœliciſſimo, &c.
Humaniſſimoq; D. Stephano Langham *Eq. Aurato,*
Viroq; propter amœnitatem Morum, Geniiq; Candorem
Apprimè Conſpicuo.

Huic Triumvirali Fratrum Choro
Hoc Ipſorum Patris Honorabilis EPITAPHIUM
Officiosè dicat, devovetq;
P.F. *olim Militum Serviens-Major.*

EPITAPHIUM

Honorabilis JOHANNIS LANGHAM

de *Cottesbrook* in agro *Northantonienſi*,
Militis, ac Baronetti, *&c.*

Qui *Maii* 13. MDCLXXI. ætatis Anno Octogeſimo octavo, in Domu ſuâ *Crosbianâ* Lond. Fato, pacificè functus eſt.

Pietati, Poſteriſq.

Heìc ſitus eſt
JOHANNES LANGHAM Miles, ac Baronettus, *&c.*
Illo Munifico *Symoni Langham*
(Archiepiſcopo *Cantuariæ*, Summoq; *Angliæ* Theſaurario)
A Proſapiarum Serie, Conſanguineus,
A concolori Charitate, Cor, & Genius:
JOHANNES LANGHAM,
Ab Ingenitâ Majorum Virtute Magnus,
Suâq; ſeorsìm, maximus.

Ille nimirùm fuit, Qui verecundè glorietur
Quod nil Aliis *obæratus*,
Solùm ſibi *debuerit* Seipſum:
Fœlix Induſtriæ ſuæ Flos, & Fructus;
Honoris ſui Sator, & Seges;
Segetis ſuæ Meſſis, ac Incrementum.

Hìnc

Hinc oppidò, Providéq; manuq; propriâ
Dudùm floridum *Langhamiorum* Stemma, cum ſtirpe tranſtu-
Et vaſtas Domûs diù dilapidatæ Ruinas [lit,
In unum ſplendidè redegit Ædificium:
Generoſus ſuæ Faber, Artifexq; Fortunæ,
Sed Nobilis, Idemq; fœlix Inſtaurator
Redivivæ ſibi, Suiſq; Familiæ.

In celebri *Londinenſium* Senatu
Magiſtratus Quid de jure vendicaret omnes
Unicum tantiſpèr, eumq; tantum non invitus, admiſit:
Undè,
Poſtquàm Trabeas Vicecomitis induerat
Prætoris Coccinam recuſaverat,
Auræ popularis, Applauſuſq; publici
Pius contemptor.

Nemo verò Publici Commercii Munia
Laudabiliùs explevit,
Vel Applauſus a Charitate tùm publicâ, tùm privatâ
Meruit magìs, aut ambivit minùs.

Turmatìm Teſtes, hinc Exteri;
Parochiales, indè, Pauperculi
Ab uno totiès ſublevati LANGHAMIO:

Qui,
Prout Eccleſiis, Hoſpitiis, Carceribuſq; *Londini*
Multa, nec ſemèl erogaverat,

Sic

Sic apud Suos
In Nativo ſibi *Northantonienſium* Sydere
Non ſilenda præſtitit.

Quòd, ſi (præter Ingentem Nummorum Maſſam
Bis Regi *Benevolè* datam;
Ampliſſimamq; Dotem a filio *Gulielmo* receptam
Et mox, a morte Conjugis, Remiſſam, liberèq; redonatam)
Taceremus minutiores Eleemoſynarum micas
Suo proſeminatas Solo;
En! vocalius e viciniis,
Duo *ſeorsim* Xenodochia,
Gymnaſiumq; perenne Publicum
(Quæ manu *fundavit* unâ, *Dotavitq;* Benedixit alterâ)
Munificentiam longè *Langhamianam*
Proclamarent Poſteris.

Nec minùs optimatum votis verſatus eſt
Ille planè vir optimus,
Tàm Summis Charus, quàm medioximis, infimiſq; Beneficus.
Generoſus ad ſplendorem; Humanus ad Affabilitatem;
Hoſpitalis ad Laudem; Chriſtianus ad Exemplum.
Afflictæ Veritatis Fautor; Sinceræ Religionis Aſſertor;
Publicæ Rei Propugnator:
Omnium deniq; Teſtimonio, ſuoq; tandèm *Teſtamento*
In Vitâ Pius, & in Morte *Liberalis*.

Ab unicâ, Chariſſimâq; ſibi Conjuge, *Mariâ*
(Fœminâ diis Animi, Corporiſq; ditatâ Dotibus)
Sobo-

Sobolem Susceptt numerosam, quodq; plus est, Nobilem,
Quæ,
Divina Parentum vestigia, tam rectis pressit pedibus,
Ut in dubium fuerit
Utrùm Liberi suis a Parentibus, vel Parentes a suis Liberis
Fœliciores evaserint.

E Quibus,
Filius Ille natu maximus, necnon Hæres amplissimus,
Eruditissimus Ille *Jacobus Langham* Mil. & Baronettus,
Ut unâ Patri, Matriq;
Supremum Debitum Pietatis absolveret,
Ecce! Matrem suam
Multis annis mortuam, Sepultamq;
Consultò Removit;
Et ab ædibus indè *Crosbianis*
Plurimùm pullato Fratrum, Sororum, Affinium q;
Stipatus Agmine;
Cumq; Stellatâ
Procerum, Senatorum, Civiumq; Collachrymantium
Coronâ;
Ambobus,
Pompâ Celebri, Sumptuq; Maximo
Magnificè parentavit.
Et ad hanc Ædem Parochialem
Manerii sui *Cottesbrookiani*
Consepeliendus deduxit:
Ut Quos, Idem Torus, continuerat Individuè vivos,
Hos, Idem Tumulus contineret & Mortuos.

Sub Quo compoſiti, ſecuriùs, heìc obdormiunt,
A Somno denuò Reſuſcitandi
Quùm Suprema Tuba, Supremùm Sonuerit.

Intereà, Tu, Lector, ne turbes Cineres,
Tacitè recedas,
Et ab Illuſtribus his Exemplis,
Summa ſit Tibi cura *benè vivere*, ſi cordi fuerit, *Beatè Mori.*

In Memoriam hujus Honorabilis *Patriotæ*; & in obſervantiæ Teſſeram, Quam digniſſimis & Generoſiſſimis *Ipſius* Filiis, *Jacobo, Gulielmo, Stephano*q; debet Author, & in æternùm ſe debiturum Poſteris agnoſcit,

HOC ELOGIUM SEPULCHRALE,

Quod dudùm Typis Impreſſit, jam novis Typis exaravit, & in Publicum promovit

P. F. *olim Militum Serviens-Major.*

Ampliſ-

Ampliſſimo, Humaniſſimo, Generoſiſſimoq;
Popularium Suorum quotquot Coryphæo,
Et Hoſpitalitatis Avi ſui permemorabilis Thomæ *Militis*
Virbîo verè Redivivo,
THOMÆ FREKE *de* Shrowton *Armigero* ;
Comitatûs ſui Durotrigenſis *dudùm Vicecomiti* ;
Ejuſdemq; diutiùs alteri Pro-Præfecto,
Paciſq; Publicæ Curatori, &c.
Et unico Avunculo dictæ Thomæ *colendiſſimo.*
Viro Communis emolumenti, commodiq; Publici
(Cum Fratre Gulielmo, Beneficos utroſq; *teſtantibus*
tùm Wiltoniæ, *tùm Bibliothecæ* Bodleianæ
vivis hodiè Monumentis)
Propagatori pluſquàm Privato ;
Et ob Humilitatem, Moderationem, Temperantiam,
Æquabilemq; vitæ prolongandæ Tenorem,
Ab omnibus Æmulando, Suſpiciendo,
RADOLPHO FKEKE *de* Hannington
in agro Wilt. *Armigero.*

Ibiq; Jurgiorum, Litiumq; mitiſſimo Moderatori,
Paciſq; Publicæ Curatori perquàm Pacifico.
Olim, Coll. Omnium Animarum *apud* Oxon. *Socio* ;
Et deinceps, Medii Templi Londini, *Juriſconſulto.*
Planeq; viro multum Docto, Pio, ac Erudito,
Et memorabilis Thomæ Freke *Equitis Aurati, Gennino Filio.*

Hoc Ipſis
EPITAPHIUM *ſequens, à Vernaculâ in Latium verſum,*
Officiosè dicat Ipſorum Cognatus obſervantiſſimus,

P. F. *olim Militum Serviens-Major.*

Translatio verbatim versa e Vernaculâ in Linguam Latinam.

BEATISSIMÆ MEMORIÆ

THOMÆ FREKE Eq. Aurati, Primogeniti *Roberti* de Shrowton, (antiquiss. *Iwerne-Courtney*) Armig. & Heroinæ ELIZABETHÆ, Conjugis, unicæq; Filiæ *Johannis Taylour* de Burton, Armigeri.

Radolphus, & *Gulielmus Freke*
Ipsorum Filii, cæteris, soli superstites,

Illis, ac Posteris
Hocce lugubri Marmore, supremum observantiæ
Debitum, piè Parentârunt;
MDCLXV.

Hanc Ipsam Quam cernis, *Ædem*
(Quæ Monumenti locum, luculentèr supplebit)
Suprà Sepulti Patris *Cineres*,
Unâ cum *Sacello nitido*, apud Mannerium suam *Melcombiæ*,
Memorabilis Ille THOMAS, unicus, extruxit.
Et in sinceræ, Publicæq; Pietatis Symbolum,
Supremi Numinis *Divino Cultui*
Utrumq; consecrandum, Christianissimè Curavit.
Ad Decem (Quas sub dono tenuit) Ecclesias,
Viros apprimè Probos, Doctos, & Orthodoxos,
Benevolè, *Gratisq;* semper admisit.
A Majoribus suum Patrimonium rectè Relictum

Pro-

Prudentèr, & omninò magnificè administravit:
In quantum, Præluxêrunt *Ambo*,
Piè Providi, Lautissimè Liberales.
Patriæ suæ Consulere,
Virtutes accendere, Merentesq; remunerare,
Studio quotidiè sollicito, summisq; sedebat in deliciis.
Bis, suæ *Durotrigûm* Provinciæ, *Vicecomes*;
Annosq; *triginta* Militiæ Publicæ, *Pro-Præfectus*;
Et pluriès delegatus ad *Parlamentum*, *Senator*,
Eminentèr illuxit.
Et in singulis Honorum Muniis,
Eam Sedulitatem, cum Justitiâ, Justitiam cum Prudentiâ,
Tam fidelitèr, ac fœlicitèr expressit;
Ut ubivis, gratulabundus Illi populus applauserit,
Et abindè, meritissimè
Titulum Patris Patriæ, reportaverit.

Pacem Quam complexus est, Medullitùs amavit;
Extititq;
Vicinis, Æquissimus Arbiter;
Amicis, fidissimus Jurisconsultus;
Orphanos, tutelaris Custos, ac Curator.

Audiebant Ambo
Plurimùm *Peregrinis*, Hospitales;
Pauperibus, Benigni Dispensatores;
Consanguineis, munifici Parentes:
Quibus, Divinam Jus est implorare *Gratiam*,
Ut *Ipsi*, tandèm tot Beneficiorum reminiscentur,

Et:

Et *Utriusq;*
Laudabilia tot Exemplaria,
Studiosiùs æmulentur.

Liberos habebant *Duodecim*
Zodiaco *Signorum* numero parallelos:
Johannem, junctum nuptiis a primis, *Arundelliæ Trenchard*,
A Secundis, Nobilissimæ Heroinæ *Janæ Couartæ*.
Elizabetham, junctam *Georgio Horsey* Eq. Aurato;
Robertum, *Catharinæ Ewens*;
Alicianam, *Georgio Haskings* Eq. Aurato;
Radolphum, *Cecilio*, *Thomæ Culpeper* Eq. Aurati, Filiæ;
Thomam, *Mariæ Dodington*, ex Equestri Familiâ Filiæ;
Edmundum, *Margarettæ Bartholomew*;
Janam, *Johanni Tregonwell* de Milton-Abbas, Armigero;
Gulielmum, *Franciscæ*, *Tho. Culpeper* Eq. Aurati, Filiæ.
Elizabethâ, *Thomâ*, *Annâ*,
In ætatis suæ prælimine præreptis.
Longævi viderunt *Hierosolymam* nostram statu perquàm florido,
Pacemq; sancitam, *Britannicam* apud *Israelem*.
Ambòq; denuò
Sub gratissimo Senectutis expirantes otio,
Ille, sub Annum Septuagesimum MDCXXXIII.
Illa, sub Annum Septuagesimum quartum MDCXLI
Animas Sui Redemptoris Tutelæ,
Et Corpora sub hoc Saxo sepelienda
Commendârunt.
Ubi, sub fiduciâ conquiescentes Christianâ
Beatissimi Sui Servatoris Epiphaniam præstolantur.

Hoc

Hoc **EPITAPHIUM**, Quod in Æde *Shrowtoniana* patet; Author in Latinum vertit e Vernaculâ, ut *Avunculi ſui* colendiſſimi Memoriam publicè, paſsimq; proſeminaret; *Cui*, ſeipſum ſed totum debet, & æternàm ſe debiturum, Poſteris agnoſcet: In quantùm miſericors Ille Patronus Orphanorum, perquàm memorabilis Ille *Miles Tho. Freke*, Authorem vel tunc *Quadrimulum*, ab ædibus Avi ſui Nobiliſſimi, Spectatiſſimiq; Patriotæ *Thomæ Neale* Equitis Aurati tunc mortui, Chriſtianè tranſtulit, & Illum primum *Shrowtoniâ*, deindè *Blandfordiâ* Literis imbuendum, propriis Sumptibus, curavit; unde, Literarum quicquid ab Iſtis fontibus imbiberit, Eas digniſſimæ, diffuſiſſimæq; *Frekiorum* Familiæ refundendas fatetur, ſemperq; fatebitur

Ipſis, affinis uſq; devinctiſſimus

P. F. olim Militum Serviens-Major.

Viro

Viro Reverendo, juxtìmq; perhumano,
Et Moribus amœniſſimis penitùs inſtructo,
Diffuſæq; Frekiorum Familiæ
(Ab agro Somerſetenſi primitùs oriundæ)
Non vulgari Ornamento,
D. JOHANNI FREKE *Somerſetigenæ,*
Et ab antiquis illìnc Avorum Ceris, Generoſo;
S. Sanctæ Theologiæ diù Profeſſori,
Col. Wadhamienſis *diù Socio,*
Ibiq;
Multorum Juvenum (præ cæteris eminentium)
digniſſimo diù Tutori.

Hoc EPITAPHIUM *proſtans in æde* Hanningtoniæ
(cui præſidet) ſummâ quâ fide potuit
e Vernaculo *vertit in* Latinum,
Ipſiq; propriè dicat, devovetq;
Cognatus Ipſe devinctus P.F. *olìm Militum Serviens-Major.*

POSTERIS SACRUM, MEMORIÆq;
GULIELMI FREKE *Thomæ* de Shrowton, Militis,
Filii natu minoris;
Qui cum Chariſſimo ſuo Fratre *Radolpho*
Hèic vixit æquus, & æqualis hujus *Manuerii* Dominus,
Ab *utroq;* Morte ſolummodò diviſus.

Nobis, & Nepotibus illuxit;
Vir omnium Virtutum tenax, nullarum non appetens.

Dictis

Dictis, & factis sincerè fidus;
Morumq; sine cerâ, purè Mellitus.
In Gestu comes, In Sermonibus affabilis,
Idemq; verecundè facetus.

In Domesticis, Paterfamilias prudens, itemq; providus;
Nimirùm, quoàd expensa propria, parcus & frugi,
Sed quoàd alios (Qui congruè Charitatem meruerant)
Munificè vitâ, Morteq; Liberalis:
Agnatis extitit Amicus ubiq; constantissimus;
Egenis, & derelictis, Christianus usq; misericors.

Quietis, & Innocentiæ Sectator sedulus,
Animi Pacem, Suiq; Securitatem,
Solitudine, secessuq; multùm promovit;
Famamq; viri singulis Humanissimi,
Exemplumq; Fratris longe fraterrimi
Hodiernis, & Posteris æmulandum reliquit.

In Uxorem duxit dignissimam D. *Franciscam*
Inclytiss. *Tho. Culpeper* Eq. Aurati Filiam,
Per Quam, nulla susceptâ Prole,
18 Sept. MDCLVII. ætatisq; suæ quinquages. secundo,
Prolificus Ille virtutum Pater, vivis excessit.

Cujus Amoris sinceri, quamdiù vixerat,
Et posthumæ Benignitatis superfuturæ Morti,
RADOLPHUS FREKE (unicus Ipsi superstes Frater) omninò
Hoc Monumentum extruxit. [memor,

Ne miretur Lector, cur hoc Epitaphium Gulielmi (*junioris Fratris* Johannis Freke) *priùs hoc ponitur, sciat esse* Translationem, *sicut præcedens Illud* Tho. Militis, *a Quo, non fas fuit concoloris Epitaphii* versionem *sejungere.*

Viro priſcis Majorum Ceris, & Membranis colendo,
Rivalibuſq; Virtutibus ſplendidè conſpicuo,
Eruditiſſ. Ornatiſſimoq;

D. ROBERTO DILLINGTON de *Knighton*
Apud Inſulam Vectenſem,
Stylo veteri, Baronetto,
(Et nupèri inſigniſſ. ROBERTI DILLINGTON
Filio, & Hæredi ampliſſimo.)
Familiæ ſuæ, Patriæq; noſtræ Southantoniæ
Alteri Columini;
Et in hoc celebri Angliæ *Parliamento*
Honorabili Senatori, &c.

Hoc EPITAPHIUM
Memoriæ Soceri ſui Conſecratum,
Officiosè dicat, devovetq;

P. F. *olim Militum Serviens-Major.*

MEMORIÆ SACRUM
JOHANNIS FREKE de *Shrowton*, Armigeri,
Primogeniti THO. FREKE Eq. Aurati;
Cujus ut venerandum Nomen propagaret Poſteris,
In primi Connubii delicias,
Duxit ARUNDELIAM TRENCHARD,
Spectatiſſ. GEORGII TRENCHARD Eq. Aurati, Filiam;
Ex Quâ,
Georgium genuit, & *Arundeliam.*

Georgius,

Georgius, in uxorem duxit *Heroinam Abigalem*,
Filiam omnifariàm nobiliſſ. Comitis *Briſtoliæ*,
Et ſine Sobole, diſceſſit.
Arundellia nupta eſt nupero JOHANNI PENRUDDOCK,
Fil. & Hæredi *Johan. Penruddock* de *Compton* Eq. Aurati,
Et cum prole, ſine Marito, Relicta eſt.

Hos dudùm JOHANNIS FREKE primi ver breve Connubii
Perpulchros Flores, malefidè promiſerat :
Sed feracior æſtas ſecundi,
Fructus præſtitit uberiores.

Duxit igitùr *Heroinam* JANAM COUARTAM,
Walteri Couart de *Slaugham* Eq. Aurati, Viduam,
Alteram *Johan. Shurley* de *Iſield*, Filiam Cohæredem.
Binos ex *Illâ* Conjuge, ſuſcepit Filios
JOHANNAM, & THOMAM ;
Totidemq; Filias,
ELIZABETHAM, & JANAM.
Elizabetha nupta eſt RICHARDO BROWNLOWE Armig.
Filii & Hæred. GULIELMI de *Magno-Humby* Baronetti ;
Jana, ROBERTO DILLINGTON de *Knighton*, Inſ. *Vectenſis*,
Filii, & Hæredis *Roberti Dillington*, à primis, Baronetti.
Quæ Heroina *Jana*,
(Fœmina Diis Animi, Corporiſq; ditata dotibus)
A ſuo totiès fœcunda Puerperio
In Filiis, & Filiabus,
Futura *Dillingtoniæ*, *Frekianæq;* Familiæ Columina
Collocavit Poſteris.

Et ſic memorabilis Ille JOHANNES
Uxorum, Liberorum, Fortunarum ſatur,
Humanæq; fœlicitatis abundè benedictus,
Cœlo tandèm maturus,
De more Manipuli Segetis
A terris demeſſus, ab Angelis collectus,& aſportatus eſt,
Ut Æternitatis Horreo conderetur.

In cujus Memoriam,
Ut Mœrorem teſtaretur, Quem mortuo debuit *Affini*,
Et obſervantiam Quam ſuperſtiti ſoliturus *Heroinæ*,
Hanc Typis exaravit Epigraphen,
P. F. *olim Militum Serviens-Major.*

ELOGIUM SEPULCHRALE

Generoſiſſimi, viriq; verè Magnanimi,
ARTHURI FREKE *Momonienſis,*
Et illinc, ab *Hiberniæ* fœcundiori ſolo,
Suâq; Sede, MDCLXXI, Cœlo tralati.

Heùs Viator! aures erigas, ut attentiùs auſcultes:
Ni fallor, *Arthuri Freke* è longinquo Te Manes invocant;
ARTHURI FREKE,
Ab avitis Meritis, Suiſq; Muniis, bis Armigeri,
Eòq; ter-dignus Majori titulo,
Quò minùs Equitis Aurati, rogatus admiſerit.

Si

Si Genus ſciſcites, Te *Durotriges* edocebunt.
Ubi, Surculus erat ex denſo *Frekiadum* nemore detruncatus,
Necnon Illius antiqui, floridiq; *Trunci* de *Shrowton*,
Ubivis, vel hodie, venerandi.

Ab hâc olim Radice
Gulielmus Freke (frater magni THOMÆ Militis)
In *Hiberniam*, Seipſum, Ramum genuinum tranſtulit;
Adeò Prolificæ FREKIORUM virtutes exceſſerant,
Non uno ſpargendæ Seminario.

Heic, ARTHURUS
Paternæ Fortunæ par Hæres, ac Honoris,
Ab aureis Majorum Calcaribus
Rubiginem deterſit,
Splendidiùſq; per uſum docuit inclareſcere.
Eminuit nimirùm vir Ille ſuo Sydere memorabilis.
In Urbe, Senator. In Comitatu, Vicecomes.
In Campo, Miles;
Omninò neſcius
Hoſti vultus avertere, vel Amico:
Vir approbatè Fortis, Idemq; Fidelis;
Necnon *Arcem* celebrem Illam (Cui præclarè præfuit)
Vel ad Miraculum, tunc ſuſtinens Invictam,
Poſtquàm *Momonia* tantùm non tota
Victori ſuccubuit.
Et certè vix ordinis ſui fuit alter
Qui cùm tot Infortuniis fortiùs luctatus,
Aut fœliciùs eluſit:
Inter Sciſſiles, ſubdoloſq; Rotundioris ævi Sectas,

Homo planè Quadratus ;
Quem, nuſpiàm Lucri ſpes allexit,
Aut damni metus, à *Recti* tramite detorſit,
Dùm quaquaversùs invicem ſibi conſtiterant,
Una *Veritas*, ac unus *Arthurus*.

Qui deniq;
Gratiſſimo pretioſi Nominis odore
Domi, foriſq; diffitè diffuſo,
Avitis Penatibus magnâ de parte reſtitutis ;
Conjuge chariſſimâ cum Liberis
In poſterùm providè dotatis ;
Hæredibuſq; ſuperfuturis,
Fœlici FAMÂ, Filioq; PEIRCEYO ;
In Ætatis vividi, vigentiſq; Pomeridie,
Immaturiùs immigravit Mortuos,
Vel heìc etiàm dignus, in æternùm vivere.

In Affinis ſui perquàm colendi Memoriam,
Hoc Quod dudum Scripſit EPITAPHIUM,
Nunc Typis impreſſit, unicoq; ſuperſtiti Filio
PEIRCEYO Armigero, (viroq; corporis, animiq; dotibus ornatiſſimo)
Officiosè devovit

P. F. *olim Militum Serviens-Major.*

Viro

Viro tàm propter Suaviſſimam morum
Conſuetudinem,
Quàm propter antiquiſſ ſuæ Proſapiæ ſplendorem,
Tùm Cornubiæ, *tùm* Durotrigûm *Sydere ſpectabili,*
Honorando,
Et ob Hoſpitalitatem minimè privatam
Suſpiciendo,

JOHANNI TREGONWELL de *Milton-Abbas,*
in Agro Durotrigenſi, *Armigero,*

Ibiq; publicæ Pacis Curatori, Militiæq; Provincialis
Alteri Præfecto, &c.

Ipſiuſq; Cognato Chariſſimo
Affinitate Sanguinis, & Latifundiorum
Conjunctiſſimo,
Honorando, ac juxtim Colendo,
Generoſiſſimo, necnon Ornatiſſimo
JOHANNI TREGONWELL de *Anderſon*
in eodem Comit. Armigero,
Honorabilis
Hujus Magni Angliæ *Parliamenti*
Senatori, &c.

Hoc ELOGIUM

Officiosè dicat

P. F. *olim Militum Serviens-Major.*

Adeſ-

Adeſdùm, Viator,
Ut hèìc ediſcas, Quæ Poſteris edoceas,
Nec Genus, nec Formam, nec Divitias,
Adversùs ferreas *Libitinæ* quidquàm valere Leges.

Ante oculos nimirùm ſuccubat
Princeps ſuæ ſtirpis, ac Decus Popularium,
JOHANNES TREGONWELL,
De *Milton-Abbas* in agro *Durotrigûm*,
Armiger;
Nuperò Patriæ ſuæ Vicecomes,
Ibidèmq; Publicæ Pacis Irenarcha.

Cujus Cunarum ſi quæras originem,
En! *Cornubia*
(Vetuſtiſſimorum diù vagina Penatum)
Ibi, Venerandas *Tregonwelliorum* oſtendet Imagines,
Antiquitatis primævæ tantùm non æmulas.

Ille veruntamèn,
Non fuliginoſis Majorum contentus Imaginibus,
Ab ipſis rubiginem, Meritorum radiis deterſit,
Ut ignara doceret Sæcula,
Celebrem TREGONWELLIORUM virtutem
Nil Fecialium debere *Fidei*,
Nec Proavorum totùm *Fortunæ*.

Con-

Contemplatui plurimè devotus,
Plùs ſolitario ſibipſi, quàm ſæculo conſuluit;
Quietis, ac ocii, non ſectator otiosùs:
In Comitatu, magnus. In Domu, major.
In Muſæo, maximus.

Hinc, Rure plerùmq; vixit, nemo tamèn urbanior evaſit;
Et idcircò ſibi præclarè latuit,
Ut magìs Suis eluceret,
Famæ popularis, applauſuſq; Publici
Spretor magnanimus.

In unicam duxit uxorem, JANAM
Spectatiſſimi nuperò THO. FREKE Equitis Aurati
Filiam natu tertiam.
Quæ unicum tantiſpèr enixa eſt Filium
JOHANNEM,
Tàm Paternæ virtutis Hæredem, quàm Fortunæ.

Diù valetudinarius,
Et inter Medicos jactatus multos,
Tandèm Mortem certiſſimum ærumnarum Medicum
Patientèr acceſſit.

Et à procelloſo, turbidoq; ſecuriùs emergens Pelago,
Ætatis anno Sexageſ. ſept. Salutis ærâ MDCLXVIII.
Tranquillitatis portum fœlicitèr appulit.

Ad perennandam cujus Memoriam
JANA Conjux, & JOHANNES Filius unicus,
Supremiq; Teſtamenti Curatores,
Hanc Epigraphen piè, nec parcè promoverunt.

Inter frondeſcentes Penates Libani Lincolnienſis
Ramis omninò fœliciſſimis,
Et ſummis Avitæ Domûs, ac Dignitatis ſuæ Paternæ
Columinibus,
Honorabili Juveni
JOHANNI BROWNLOWE
de Magno Humby *in agro Lincolnienſi,*
Veteri Stylo, Baronetto, &c.

Et Avunculo ſuo Chariſſimo,
Et ubiq; perquàm colendo,
Ornatiſſimo, Generoſiſſimo,
GULIELMO BROWNLOWE
Armigero,
Filioq; natu ſecundo nuperi Gulielmi Brownlowe
Comitatûs ejuſdem, Baronetti, &c.

Hoc Ipſis EPITAPHIUM
Ad deſiderium pientiſſ. *Heroinæ*
D. ELIZABETHÆ BROWNLOWE
Jamdudùm ſcriptum,
Nunc Typis exaratum,
Officiosè dicat, devovetq;

P. F. *olim Militum Serviens-Major.*

JUSTA

JUSTA SEPULCHRALIA

Viri Spectatiſſimi,
Pientiſſimiq; Patriotæ,
RICHARDI BROWNLOWE, &c.

Accede, lugubris Lector,
Ut hodierni ſæculi tantum doleas diſpendium,
Quantum vix potis eſt reparare Poſterum.
Heìc enim ſuccubuit
Noſtrorum Decus, Nepotumq; deſiderium,
Honorabilis, Idemq; memorabilis Ille Patriota,
RICHARDUS BROWNLOWE
de *Magno Humby*, Baronettus,
GULIELMI Baronetti, Filius ac Hæres;
Eòq; Paternis quidem major Titulis,
Quo, minùs videri voluit ſeipſo.

Academiæ *Cantabrigiæ*
Delibatos Adoleſcentiæ dicabat Flores,
Ut Patriæ mox adultiores adoleret fructus:
In cujus Zodiaco,
Primariæ Stella Magnitudinis illuxit.

Nec ſplendentes Ibi radios ſub Modio compreſſit,
Sed fuſiùs in commune commodum diſperſit;
Undè,
Publicæ Pacis Curator pluſquàm Privatus,

Et inter Primores ſuæ Patriæ
Pro-Præfectus alter eminuerit.

Fuit nimirùm
Vir omnifariàm ornatiſſimus,
Eruditionis, Naturæq; donis haud vulgaritèr inſignitus;
Pancratici Corporis; Ingenii vividi;
Judicii ſubacti:
In omnibus adeò conſummatus, unus,
Ut Dotes Quæ deſiderarentur in Aliis,
In Illo, pluſquàm redundarent.

In Uxorem duxit unicam ELIZABETHAM FRFKE,
JOHANNIS FREKE Armig.& Heroinæ JANÆ COUART
Filiam natu maximam.
Per Quam,
Decem liberos ſuſcepit;
E Quibus,
Duos Filios, & tres Filias ſuperſtites reliquit.
Vix autem Parem virtutis reliquit
Sæculo, ſibive ſuperfuturum:
In quantum, Coryphæus Ille præminuit
Eximium Conjugi Caſtitatis Exemplum;
Idem Pater perindulgens Liberis;
Idem Servis Herus Domeſticis;
Idem ſingulis Amicus, niſi vitiis;
Neminiq; niſi ſibi, ſeverus;
Deſertis, Hoſpitium. Indigis, Ærarium.
Inconſultis, Oraculum.

Qui

Qui tandèm, quùm non locus apud *Lincolnienſes* relictus ſit,
Quò Coætanei veſtigia Ipſius preſsìm ſequerentur,
Vel BROWNLOWANA præcellens virtus progrederetur ultrà,
Invida Fata
Julii tertio, Sal. ærâ Mileſ. ſexenteſ. ſexageſ. octavo,
Ætatis anno quadrageſimo,
Tanquam medio vitæ, viæq; Curriculo
Velocem ſtiterunt orbitam.

Et ſic Ille vir optimus
Non potuit quìn præparatè mori,
Cui Cordi, Curæq; fuit ubìq; benè vivere,
Humanâq; demùm lætè, liberèq; ſolutus ſarcinâ,
Sub hoc pulvere depoſuit,
Ut inturbatâ Cœlo frueretur requie,
Quam rarò terris, vivus, offenderat.

Ad perennandam Cujus amœniſſimam Memoriam,
Uxor Ipſius mœſtiſſima,
Hoc affectuoſiſſimæ Pietatis ſuæ Symbolum
Poſteris appoſuit.

Viro

Viro Virtutibus insignioribus, Illustri,
Eruditionis, ac Humanitatis ornamento,
Necnon Hospitalitatis Avitæ, Paternæq;
Spiranti vel hodie Specimini,
Nobilissimæq; Nortoniorum *Familiæ Capitali Columini,*
JOHANNI NORTON de *Rotherfeild,*
Stylo veteri, Baronetto;
Ad Hoc Angliæ *Parliamentum pro Comit.* Southantoniæ
diù Militi-Delegato;
Ejusdem Comitatûs alteri Pro-Præfecto;
Provincialis Militiæ Chiliarchæ;
Pacisq; Publicæ Curatori, *plusquam privato,* &c.

Viroq; Dotibus eximiis instructissimo,
Necnon Moderationis, Prudentiæ, ac Candoris, Exemplo,
EDOARDO BAYNTUN de *Bromeham,*
Ordinis antiquiss. de Balneis, *Equiti Aurato;*
Diutiùs in multis Angliæ *pridèm Parliamentis* Senatori,
Nobilissimæq; suæ Familiæ non vulgari Ornamento.

His Ambobus viris Illustribus
Hoc ELOGIUM SEPULCHRALE
Quatuor Columnis
Nobilitatis, Fortitudinis, Eruditionis, Justitiæq;
Suffultum,
Perquàm propriè, dicat, devovetq;
Ipsorum quondàm Condiscipulus, & Servus sempèr Ipsis
Obsequentissimus,
P. F. olim Militum Serviens-Major.

SEM-

SEMPITERNÆ MEMORIÆ

JACOBI, *nuperò Comitis* Marleburienſis,

In Illâ fatali Naumachiâ *Julii* 4. MDCLXV, infœlicitèr Interempti.

Adeſte Trabeati *Britanniæ* Proceres ;
Et adſis Tu Rector *Tridentifer*
Longo *Tritonum* ſtipate Satellitio ;
Ut imponas *Roſtrales* Illius Capiti *Coronas*
Qui meruit Aureas.
Qui fuit in Animi Principatu, Monarcha Regens,
Rectuſq; Subditus *Duobus Monarchis*.
Heros Patronymicus, haud Herois donatus Patrimonio.
Honoris Aviti Comes, ſed non Hæreditatis.
Veruntamèn,
In Re Moderatâ fœlix, & in Re fœlici, Moderatus ;
Opum ſpretor ; Mundo dignior ; Major Invidiâ.

Hic, Hic, *Nobiliſſimus* fuit Ille, Qui jacet, JACOBUS.
Jacobus Comes *Marleburiæ*, Baro *Ley*, &c.
Futura Sui ſpes Nominis, itidemq; Familiæ.
Idcircò, vel à Teneris, Ille magnus
Dudùm meditatus, molituſq; maxima :
Cumq; *Septem Carinis* Sumptibus propriis apparatis,
Americanum longè, ſequutus eſt Solem :
Solem proh fata ! foris ſequutus eſt,
Quem, retrogradum, ſibiq; nubilum, domi reliquerat :
Undè,

Undè,
Novos infœlix poſſeſſurus fundos,
Domi veteres Abdicavit;
Magnificâ Virtute velificante *Famæ*,
Dedignata quidquam debere *Fortunæ*.

Hic, Hic, *Fortiſſimus* fuit Ille, Qui jacet, *Jacobus*.
Qui poſtliminiò, Bello per *Angliam* debacchante,
Bombardis Regiis, Machiniſq; Bellicis
Supremus præfuit, Idemq; ſibi;
Hoſtium nonnunquàm Victor, ſemperq; Sui:
Cui, vel in effræni Militum licentiâ,
Nil libuit, Quod non licitum;
Nihilq; licitum, niſi Quod Honeſtum.

Hic, Hic, *pererauditus* fuit Ille. Qui jacet *Jacobus*,
Regionum Curioſior Animadverſor;
Hiſtoricus Librorum perlector;
Philoſophicus Hominum Commentator.
In univerſis Scientiis nonnullus; in nonnullis univerſus:
Fecialis Bonus, Mathematicus Melior, Palinurus optimus.

Hic, Hic, deniq; perquàm *Juſtus* fuit Ille, Qui jacet, *Jacobus*;
Qui ſub iniquâ ſorte, mentem geſſit æquiſſimam.
Vir planæ Frontis, nec implexæ Fidei,
Uſq; Propoſiti tenaciſſimus, ac Promiſſi.
Satrapa ſine faſtu. Nobilis ſine fuco. Miles ſine fraude:
Nil enim Mundo potuit *debere*,
Qui ſic infidelem Mundum ſibi *devinxit*;

Lite-

Literis longè Posteris *obligatoriis*,
Testibusq; *seriò morientis* ultimis:
Undè, Cœlo propinquior Ille *Cygnus*,
A *Seraphini* facundiâ *Calami*
(Cantu vocalius Olorino)
Væcors, *Atheisticè*q; *somnians* expergefecit sæculum:
Auditus ab Arcâ suâ *Noachus* alter,
Sed non tunc, in simili servandus *Arcâ*:
Is enim quùm Dux Eminentior in *Veteri Jacobâ*
(Beati nominis ominosâ Nave)
Adversùs potentiores *Batavos*
Impari numero, plusquàm pari fortitudine, pugnaverat,
Grandiori, proh fata! perforatus Globo,
Victima Patriæ, Cœlebs succubuit:
Piè, Prodigiè,
Vel Ipso sanguine, Paci parentatus Publicæ,
Decius Britannicus; *Curtius* Christianus.

Discedite nunc Proceres, & ex Præfatis discite,
Quàm dulce sit ad *Virtutem* vivere, & decorum pro *Patriâ* (mori.

Occidit in illâ Memorabili Naumachiâ, Quæ commissa est inter *Anglos*, & *Batavos*, *Julii* die quarto, MDCLXV; & cum Tribus Nobilibus eodem die deletis, consepultus est *Westmonast.* in Sacello Regio *Hen.* Septimi, per admodùm Reverendum, ac ubivis Venerandum, Eruditissimum Præsulem, suæq; perantiq; Familiæ de *Seagrot* fortissimum in Collegio, Campo, & Ecclesiâ, propugnatorem, Dom. *Johannem Dolbin*, Dom. Episcopum *Roffensem*; Ædisq; dictæ *Westmonast.* Decanum diù perquàm dignissimum.

VIRO

Moribus ubivis Amœnissimis
Ornatissimo,
Et concoloribus Animi, Corporisq; dotibus
Eminentèr Instructo,
JOHANNI WOLRYCHE
de Dedmaston *in agro* Salopiæ, *Armigero.*
Famdudùm
Apud Cantabrigienses, *Nobiliorum Literarũ*
Conspicuè Candidato;
Apud Socios Honorabilis Hospitii Grayensis
Diù Jurisconsulto.
Apud Oxonienses, *Legum Cæsarearum*
Præclarè Laureato.
Apud Salopienses, *Paternæ Domûs de* Dedmaston
Fœlici Supplemento.
Apud Omnes, domi, foriſq; Literarum, Literatorumq;
Munifico Mæcenati.

Hoc Honorabilis Ipsius Patris EPITAPHIUM
Officiosè dicat, devovetq;
Cordatissimus, & affectuosissimus Ipsius Cultor,
Devinctissimusq; Debitor,
P. F. *olim Militum Serviens-Major.*
M. S.

M. S.

Sub hoc Marmore reponuntur Reliquiæ
Honorabilis THOMÆ WOLRYCHE,
Militis ac Baronetti.

Qui,
Virtutum ſuarum Sigillo,
Valdè Veteres, Authenticaſq; Majorum Ceras
De novò Munivit,
Lævamq; Manum *Scuto* dextrè ſuperadditam,
Perennavit Poſteris.

Puer,
Ad Almam Matrem *Cantabrigiæ* miſſus;
Pater,
Sex Pueros erudiendos ad Eandem miſit Academiam.

Ex Quâ,
Cum Luce, Lactis Pocula tàm ſitiens imbibit,
Quàm Soboli, Succos propinaret:
Artes ſic enim Liberales edidicit,
Ut eas Edoceret:
Ita colens ſingulas, acſi caperet univerſas.

Hinc, evaſit Morum Norma Civilium,
Geometriæ Cultor; Hiſtoricæ veritatis explorator;
Heraldicæ lumen, & deliciæ;
Cujus Argenteos Radios adeò Suis Inauraverat,
Ut inter Optimos noſtri ſæculi Feciales apprimè Bonus,
Et inter ordinis Sui Bonos, eluceret Optimus.

Elatam Proceri Corporis Majeſtatem
Humiliori Geſtu decorè depreſſit;
Mitis omnibus, & ne vel Inimico, Maledicus:
In hoc verendus, quòd amârat omnes;
In hoc amandus, quòd odio habuerit neminem.

Succinctìm,
Acris fuit Ingenii, Judicii ſolidi; Memoriæ fœlicis;
Et in hoc ſanè fœliciſſimæ,
Ut Beneficia Quæ gratìs fecerat,
Sempèr ſit oblitus;
Et Injuriarum Quas ab ingratis paſſus ſit,
Rarò Recordatus:
Mala nimirùm *Subire* maluit, quàm *Mereri*.

Idcircò,
Ob puram, defæcatamq; DEO, *Regi*q; Fidem
Bis, à Bonis, Latifundiiſq;
Spoliatìm ſecluſus eſt;
Et pluſquàm ſemèl in Carcerem compulſus,
Animâ verò ſempèr liberrimâ,
Fideq; jugis inconcuſſâ;
Ceu doceret,
Adverſus Magnanimitatem, nil poſſe Fortunam.

Ad diverſa Parlamenta
(*Jacobo*, *Carolo*q; Regnantibus)
Per Communia Popularium Suffragia
Cooptatus eſt.

Domi-

Domìq;
Diutiſſimè Pacis Publicæ Curator,
Ibiq; Militiæ Provincialis Centurio,
Alterq; Patriæ ſuæ Pro-præfectus
Eminuit.

In Quibus Muniis,
Honorum laudum, Liberorum ſatur, ac Dierum,
Ætatis Anno ſuæ Septuageſimo primo
Salutis Ærâ MDCLXVIII.
Julii die quarto *Sancto Ulryco* dedicato,
Hic noſter *Ulrycus* (ſic primitivè denominatus)
Ad Sanctorum Synedriam accitus eſt.

Ad perpetuandam cujus Memoriam,
Dom. *URSULA*
(Ex perantiquâ Familiâ *Ottelyorum*)
Conjux ejus obſequentiſſima,
Duodecimq; liberorum fœcunda Mater)
(Ex Quibus Quatuor Filii, treſq; Filiæ jamjam ſuperſtites)
Hoc Illi Mœſtiſſima, devovit Monumentum.

Ornatiſſimo

ORNATISSIMO JUVENI,
VIROq; LONGE GENEROSO,
Suæq; perantiquæ Familiæ
(In Insula Cannariensium Hispaniæ)
Magni Spei ac Desiderio,
Dom.
LUDOVICO ITERIANO,
Unà
Cum Affinibus, ac Agnatis
JOSEPHI nuperi de GUERRA.
Hoc sequens EPITAPHIUM
dicetur, devoveatur,
Quod dudùm scripsit

P. F. olim Militum Serviens-Major.

In Mortem Nobilis Hiſpani,
Domini JOSEPHI GUERRÆ,
Domini de *Guerra* & *Llarena*
apud Inſulas *Cannarienſes*, &c.

Qui *Joſephus*, menſes paucos à Nuptiis Ipſius cum Venuſtiſſimâ Virgine *Anna* (Clariſſimi *Briani Hianſoni* Baronetti Filia) *Fato feſtino functus.*

Accede Lector, fleturienſq; cogita
Qualis Rerum ſit viciſſitudo Mortalium:
Cogita quàm properis deſcendit paſſibus
Ad ſuum Thalamum, ſuumq; Tumulum
JOSEPHUS GUERRA,
Patriæ decus, diviſimq; dolor:
Cujus
Nuperis Qui Nuptiis arriſit annus,
Has Idem Nænias hodiernas efflevit.

O Venefica blandientis Fortunæ Lenocinia!
Quæ proditorio perdis, Quos demulces oſculo.
Et O pulchellis *Venerem* nimis Novercam,
Quòd ſic *Taxos* cum *Myrtis* iniquè junxeris;
Et ideò, Tædas *Hymenales* accenderis,
Ut Funalium more, præportares Feretro.

Sic

Sic alternà vice,
Prodromam plerumq; lætitiam
Lento ſequaces comitantur lachrymæ :
Et Infida Quæ clariùs oculis elucent
Minantur oculis, feriuntq; Fulgura.

Sed vos Affines, impavidas Fulguris
Libate Laurus, Libate Lilia,
Floribuſq; Tumulo parentate *Joſephi.*

Joſephi tenero ſucciſi Germine
Priuſquam Fructui flore proluſerat ;
Enchiridion Illud Naturæ lævâ delente Libitinâ,
Quod Ars ac Eruditio delinearunt Dexterâ.

Sic *Guerrorum* Coryphæus Ille Qui ſine Pari vixerat,
Sine Sobole ſublatus, vivis exceſſit,
Protonotario vetanti Fato,
Ut tot originalium virtutum veraces Copiæ
Crederentur nobis, haud credendæ Nepotibus.

Authenticæ verò Famæ ſuperfutura Copia
Tranſcribenda tradetur *Iberiæ* Primoribus:
(*Iberiæ*, Primarum Reginæ Gentium)
Necnon *Cannarias* perambulabit Inſulas
Quà *Vitis*, Reliquis Palmam præripiet ;
Vitis in Cujus voluminoſis Foliis
Hodierni Vates inſcribant *Joſephe*,
Popularium laudes, itidemq; *Tuas*.

Hèic

Hèic maculis & immunè Mendis
Correctum vitæ veſtræ, veſtratumq; Commentarium
Majuſculis planè Literis legendum,
Imprimetur Patriis, premeturq; Prælis,
Torcularibus, Abſentiam Typographi ſupplentibus,
Uvarum ſucciſq; Atramenti Vicariis.

Hèic enim perantiquæ contemporanea *Teneriffæ*
Tuorum paſsim Majorum ſurgunt Monumenta,
Æternitati Sacra *Tuæq;* *Memoriæ* ;
Quæ non Avitis continenda Cœmiteriis,
Indigenarum Cordibus inhumabitur omnium.

Sed Uxoris fidiſſimæ ſuper omnes, ANNÆ,
Cujus Cor æquè eſt Gratiarum ſedes,
Sepulchrumq; Conjugis, ac Sacrarium.

ANNÆ, penitiùs ſinu tumulaberis ;
ANNÆ, in deliciis hærebis Medullitùs,
Quæ nil Præſenti prætulit *Joſepho*,
Et Quæ, defuncto, poſtpoſitis omnibus,
In *Virginum* Recluſa *Cœnobium* ſeceſſit,
Ut Eodem Voto valediceret
Marito Mortuo, Seminiciq; Mundo.

Illius Lachrymis Tuum Corpus *Joſephe*
Delicatiùs Balſamo, Succinove delibutum,
In ſempiterna Recens ſæcula ſervabitur.

Undè, Tu tandèm cùm Tuba ſuprema citaverit
A terræ cæco carcere liberaberis,
Et ad Synedriam ritè cooptandus Cœlituum,
Indueris Stolis Innocentiæ niveis,
Cum CHRISTO novas initurus Nuptias.

Diſcedas nunc hilaris, lætòq; Lector,
Et *Epitaphii*, loco canas EPITHALAMIUM.

Hoc EPITAPHIUM dudùm ſcripſit, ad rogatum Viri eruditiſſimi *HENRICI HIANSONI*, Legum Cæſarearum dudùm Doctoris, hodieq; Baronetti, amiciq; cordatiſſimi,

P. F. *olim Militum Servientis-Majoris.*

Viro

Viro Quamplurimis nominibus colendo,
Quia Morum Candore, Vitæq; Claritate
Admodùm Conſpicuo;
Erudito, Pio, Sagaciq; Domino,
THOMÆ ROBINSONO Armigero,
Hoſp. Interioris Templi de Banco;
Necnon Communi de Banco Dom. Regis
Capitali Protonotario.

Ipſiuſq; Filio unico, ac Hæredi,
Generoſiſsimo LUMLEYO ROBINSONO
Hoſp. dicti Armigero, &c.

Ipſis Ambobus,
Hoc EPITAPHIUM hodie conſpiciendum in Ædе *Pangborniana*, Parochiâ digniſſimi Dom. *Johannis Davis*, Equitis Aurati, *&c.*

Officiosè dicat, devovetq;
P. F. *olim Militum Serviens-Major.*

M. S.
JANÆ ROBINSONÆ,
Uxoris devotiſſimæ Maritorum quotquot Chariſſimi
THOMÆ ROBINSON Armigeri,
De Banco Societatis Interioris Templi,
Necnon Curiæ Domini Regis de Commune Banco
Capitalis Protonotarii.

Ex ſex Sororibus ſenior evaſit Filia
LUMLÆI D'EAW
De *Biſhops-Upton* in agro *Herefordienſium* Armigeri,
Familiæq; ſanè perantiquæ, dudùmq; floridæ.
Septendecim Annos
Cum Marito ſuo ſuaviſſimè feriata eſt,
Et ab Ipſius ſinu demùm malevolè divulſa eſt
Per MORBUM CANCRALEM.
Cujus infandos Cruciatus poſtquàm diù victrix pertuliſſet,
Et Lævè Mammæ detruncationem
Intrepidè paſſa ſit:
Veteri (poſt intervallum ſex Menſium) revertente Morbo,
Et vitalia validiùs invadente,
Fato conceſſit:
Fidem Conjugalem Marito, Mundoq; conſecrandam,
Gemmeas Animi, Corporiſq; Dotes
LUMLEYO (ſoli de cæterâ Prole) ſuperſtiti Filio, poſſidendas,
Orthographamq; Chriſtianiſſimæ vitæ Copiam,
Nobis, Poſteriſq; Tranſcribendam
Reliquit, erogavit.

Cujus amœniſſimæ Memoriæ,
Maritus ejus mœſtiſſimus
Hoc ſtruxit MONUMENTUM,
Et in ipſo ſe Sepeliendum deſignavit,
Quum volente DEO vivis exceſſerit.

Heic

Heìc ſitus eſt
Ille Vir Honorabilis,
CHRISTOPHERUS GUISE,
In hoc Agro *Gloceſtrienſi*,
Miles ac Baronettus.
Necnon
Ab utroq; Præluſtrium Proavorum Sanguine
Longiſſimâ Serie, Perinſignis.
Vir erat non vulgaritèr Eruditus,
Indolis peracutæ; Memoriæ tenacis;
Ingenii vividi; Judicii perquàm ſubacti.
Hinc,
Propter eximias Animi Dotes, Fidem, Fortitudinemq;
Provinciæ ſuæ Pro-Præfectus alter
A Regio Diplomate conſtitutus eſt.
Undè, poſtquàm fidelis Ille Patriota
Regi, Patriæ, Sibi, Suiſq; ſatisfeciſſet, [centes
Et interiores Provinciæ partes Urbem *Gloceſtriæ* circumja-
ab Urbis Servitudine perantiquâ,
Iniquiſq; Civium Privilegiis, emancipâſſet,
Immuneſq; Poſteris reliquiſſet;
Humanæ Salutis Ærà MDCLXX. Ætatiſq; LIII.
Heu! nimis properè nobis ereptus eſt.
Cujus Nunquam morituræ Memoriæ,
Unicus Filius ac Hæres
JOHANNES GUISE, Miles ac Baronettus,
Hoc MONUMENTUM parentavit.

Heìc

Heìc ſitus eſt
GEORGIUS BOWERMAN
De *Greenwich* in agro *Cantiano*, Armiger,
Et prædicto Comitatu, Publicæ Pacis Curator.
Vir quidem
Præſenti perquàm gratus Sæculo,
Deſideranduſq; Poſtero.
In quantum præminuit
Maritus Charus; Pater Indulgens;
Paterfamilias Prudens; Herus Benevolus;
Vicinus Bonus; Amicus Melior; Chriſtianus Optimus.
DEO, Regi, Patriæq;
Subditus Fidelis.
Per ANNAM Conjugem ſibi Chariſſimam,
Filium reliquit unicum, ſibiq; ſuperſtitem,
GEORGIUM BOWERMAN de *Greenwich*, Armig.
Nominis Paterni, Virtutiſq; Supplementum;
Necnon Officiorum pariter, ac Fortunarum Hæredem,
Exequutoremq; Fidiſſimum.
In Quo obſide, Fœlicitatis Humanæ culmen attingens,
Cum magno Popularium dolore, ſimul ac deſiderio,
Quinquagenarius,
Mortalitatis amictus exuit,
Et heìc, cum Nepotulo vix nato quàm extincto,
(Filiolo primo *Georgii* dicti, *Sarahæ*q; Conjugis,)
Servatoris Sui præſtolatur Epiphaniam.

ME-

MEMORIÆ SACRUM

Inſigniſſimi RICHARDI CHAWORTH *Eq. Aur.*

Legum Cæſarearum dudùm Doctoris,

RR. GILBERTO *Archiepiſc.* Cantuar. *Vicarii-Generalis.*

Si Genus inquiras,
Annales, Inclytiſſimoſq; *Chaworthos* conſule
Barones ſanè perantiquos,
Et Ipſi *Gulielmo Conqueſtorei* Contemporaneos.
In Uxorem duxit Heroinam SOPHIAM BERTY,
Herois Illuſtriſſimi, Fortiſſimi, Conſultiſſimiq;
Roberti Comitis *Lindiſii*,
Jure Hæreditario Magni *Angliæ* Camerarii, &c.
Filiam natu Maximam.
Per *Quam*, nullâ Sobole ſuſceptâ, deceſſit Improlis;
Prolificus attamen Honorum Pater ac Virtutum:
Vir apprimè Probus ac Prudens; Doctus & Eruditus;
Amicus integer; Herus amans; Maritus optimus.

Cujus Famæ ſuperfuturæ, Providè, Pièq; conſulens,
Heroinæ Conjux, hoc Marmor teſtem ſui Mœroris
Appoſuit,
Et in hoc Cœmiterio collocavit,
Ubi vir humillimus Ille vivus,
Se Condi præceperat.

Diffusissimè Nemorosæ, Stirpis utriusq; Prosapiæ
(Hamiltoniæ, *de Ducum* Chatleroyorum *Sylvis, effrondentis,*
Et Culpeperianæ, Willelmo *Conquestori* Contemporaneæ)
Surculis, in spem Cedrorum culminantibus,
JACOBO HAMILTON, Armigero;
Et Georgio, Gulielmoq; *Generosis*;
Avi Spectatissimi
GEORGII HAMILTON Baronetti, &c.
Nepotibus;
Patris Inclytissimi JACOBI HAMILTON
Filiis hodiè superstitibus,
Famosissimæq; Scholæ BUSBIANÆ
(Celeberrimi Literarum, Lauruumq; Seminarii)
non vulgaribus Ornamentis.

Huic Fratrum Ternioni fœliciſſimo,
Hæc ELOGIA SEPULCHRALIA
Jamdudùm Consecrata Memoriæ
Ipsorum Cognati Caroli, *Vicecomitis* Muscry,
Et Inclytissimi Patris Ipsorum, Coll. JACOBI,
Utì fas est,
Propriè, dicat, devovetq;

P. F. *olim Militum Serviens-Major.*

Ne

Ne Cineres Duorum Nobilium,

CAROLI MACARTI,

&

JACOBI HAMILTONI,

Sparsim,
Morte Suâ dividerentur,

Quos, Sanguis, Societas, & Alterutrius Amicissima
Consuetudo, fuit usq; vivis
Individua;

Illustrissimus JACOBUS,
Dux, Marchio, & Comes Ormoniæ,
Hæc Marmora Suis Nepotibus
Consecrari curavit,
MDCLXXIII.

Carolus *obiit* Julii 4. MDCLXV.
Jacobus, Junii 6. MDCLXXIII.

Et *in hâc Æde* Westmonasterienſi
juxtà jacent Sepulti

Per admodùm Reverendum, omnifariàm
Eruditissimum, Generosissimumq;
Johannem Dolbin, *Dom. Episcopum* Roſſenſem,
Necnon Ædis hujus, dignissimum diù Decanum.

Heus ! Tu Qui transis ;
Si sis Advena morari Te Rogo ; sin sis Indigena, Jubeo.
Scilicèt è longinquò
Clamantes Illustrium *Macartorum* Te Manes invocant ;
Illiusq; præcipuè *Caroli Macarti* Vicecomitis de *Muscry.*
Donaldi Comitis *Glencartiæ*, Filii & Hæredis.
Jacobi Ducis *Ormoniæ*, Chariſſimi Nepotis.
Jacobi Ducis *Eboraci*, foris Pro-Tribuni
Domi, Cubiliarchæ.
Caroli Regis quaquaversùs, Alterius *Achillis*,
Et tantùm non *Achatis.*
Is enim virtutum Vicecomes,
Conſtansq; Regiarum Calamitatum Comes,
Anteſignanus è primis, *Carolo* Secundo præivit ;
Ut devios Anarchiæ Troglodytas,
Et Ipſos Antipodas edoceret
Umbram
Sub quovis Sydere ſequacem, debere Suo conſtare Soli ;
Et *Ignes* Fidei fictos, *Fatuoſq;* fore,
Qui non vel ſub Illuni nocte, clariùs elucerent.

Hiberniæ Cunas, *Angliæ* Cultum,
Galliæ, divisimq; *Flandriæ*
Morum, Militiæq; Documenta debebat.
Sed Seipſum, primitùs *Hiberniæ*,
Quà Provinciâ *Momonienſi*
Natus ex optimis Ille Parentibus,
Filius non potuit eſſe non optimus.

Quo-

Quorum ſatas, inſitaſq; Virtutes,
Ut Ille ſparsìm proſeminaret Poſteris,
In dilectiſſimam duxit Uxorem Dom. *Margaretam*,
Fil. Hæred. *Vlyck Burgh*, *Clanriccardiæ* Marchionis;
Per Quam,
Duorum Pignorum, ter fœlix evaſit Pater.
Qui deniq;
Poſtquam diutiùs domì, forìſq;
Superfuturæ Famæ fundamina,
Sudoris, Sanguiniſq; ſui Cæmento, ferruminaverat,
Et nil loci relictum ſit in *Europâ*,
Quo *Macarti* virtus progrederetur ultrà.

En! ad æternum Sui decus, Suorum vero Dolorem,
(Conjuge, Liberis, Agnatis,
Aulæq; deliciis *Publico* totùm poſtpoſitis)
Illuſtriſſimum *Jacobum*, *Eboracenſium* Ducem,
Necnon Admirallum,
In Expeditione Maritimâ, MDCLXV.
Vel ad ultimum, comitatus eſt:
Quocum, contra *Batavorum* Claſſem
Strenuò, diùq; dimicans,
In Illâ Memorabili Naumachiâ, 4 *Julii*,
Nobili
Qui forti, ferreoq; Fato ſuccubuit,
Inſuperabilis Fati ſuperſtes Victor, ac Invidiæ.

Et heìc etiàm, vel pòſt Mortem
Pyladem ſuum complectitur *Oreſtes*,
*Carolum*q; ſequitur Nepos alter, Illuſtriſſ. Ducis *Ormoniæ*,
Inclytiſſimus Ille Chiliarcha,
JACOBUS HAMILTON, Hiberno-Britannus;
Ad Ipſius Cunas, *Tribus* unà coëuntibus Elementis,
Ut unum perficerent Heroa.

Et certè, ſi fas ſit à valore Conchæ
Virtutem Gemmæ conjicere,
In utriſq; præcelluit:
Cui, tot Inquilinæ Dotes
In tam feneſtrato, totùmq; lucida feriatæ ſunt Hoſpitio,
Ut in elegantiori Domu
Vix fides eſt lautiorem comperire Supellectilem.

Hìnc Ille Subditorum fidiſſimus
Carolo 2. non minimis illuxit in deliciis:
Cui, foris è Caſtris, domì è Cubiculis,
Et deìn è Tribunis, Tribunus alter evaſit;
Evaſurus in poſterum plurium Muniorum tenax,
Quia capax Omnium:
Vir admodùm Magnanimus, & præter modum, Magnificus;
Splendidè vivens, ad Nonnullorum forsàn Invidiam,
Quia ſuprà Cæterorum ſpem vel conatum.

Quò Corporis erat elatior, eò Geſtu condeſcentior:
Ad Captandas, & Capeſcendas omnium Benevolentias
Obſequii Cereus;
Sed ſine Cerâ, Morum purè Mellitus:
Amicus certus. Munificus Herus. Perindulgens Pater.
MARITUS Optimus. Nec

Nec mirum, ſi tam veræ fuerant hæc virtutum Copiæ,
Quæ cum tanto concordârunt Archetypo:
Is enim Filius fuit, ac Hæres
Inſigniſſ. GEORGII HAMILTON Baronetti,
Galliæq; de Stirpe Ducali *Chatleroyorum* deſcendentis:
Hæreditales Quorum Dotes Heroum,
Ut *Jacobus* in Natos, Nepoteſq; tranſmitteret,
In ornatiſſimam ſanè Conjugem, ſelegit *Elizabetham*,
Nobiliſſimi *Johannis Culpeper*, Baronis de *Thorſway*,
Filiam natu, notuq; maximam.
Quæ (*Lucinâ* totiès Illi propitiâ)
Marito, ſex Filios, fœcunda peperit:
E Quibus,
Hodiè tres egregiæ Spei Patrizantes Pueros,
Jacobum, *Georgium*, *Gulielmum*,
Reliquit Sibi, Suiſq; ſuperſtites.

Et ſic *Honorum*, *Virtutum*q; Flos Ille compoſitus,
Vel ſi vis, Florilegium,
Ad Victrices HAMILTONIORUM Hederas,
Heìc, pro *Corollario*, Rivales ſuſpendit *Laurus*;
Quas, ut ſempèr virentes Poſteritas aſpiceret,
Suo recentiùs irroravit Sanguine:
Nàm poſtquàm ſub Auſpiciis
Invictiſſimi Principis *Ruperti*, Thalaſſiarchæ,
Cum Legione propriâ, Cui præfuit,
Tot fortitudinis infœlicis Specimina præſtitiſſet
In Illâ fatali Naumachiâ, 28 *Maii* 1673.
Tibiâ Globo grandiori fruſtìm colliſâ,
Die ſexto *Junii*, Morti ceſſit,
Tùm primùm probans ſe fuiſſe Mortalem.

Viro multis nominibus Honorabili,
Virtutibuſq; Genio concoloribus, Illuſtri,
Ornatiſſimo, Generoſiſſimo, Humaniſſimoq;
GEORGIO MONTAGUE,
Nuperi Nobiliſſ. Comitis Henrici
Filio Patrizanti.
Necnon ad hoc Angliæ *grande Parlamentum*
Pro Rebus Quinque-Portuum conſulendis,
Senatori.

Ipſiuſq; Cognato Chariſſimo,
Tam Sanguinis quam Morum
Affinitate conjuncto,
Eruditiſſimo, ac Honoratiſſimo Domino,
Dom. HENRICO HARE,
Baroni de Colerain, *&c.*
Gentium perluſtratori, Librorum perlectori,
Hominumq; intellectori capaciſſimo.

His Satrapis invicèm ſibi Chariſſimis
Hoc ELOCIUM SEPULCHRALE
dicat, devovetq;
P. F. *olim Militum Serviens-Major.*

ELO-

ELOGIUM SEPULCHRALE

Ter Honorabilis Herois,

EDWARDI *Comitis de* MANCHESTER,

Vicecomitis de *Mandevil*; Baronis de *Kimbolton*; Hoſpitii Regis Dom. Camerarii; Sanctioribus, & Secretioribus Ipſius à Conſiliis; *Weſtmonaſterii*, *Kingſtoniiq*; ſuper Thamiſim, Seneſchalli; Comitatûs *Huntingduni* Dom. Præfecti, necnon Ordinis Illuſtriſſimi *Georgiani*, Commilitonis, &c. Qui *Maii* 5. MDCLXX. Ætatis anno 69. vivis exceſſit.

Adjuro Te, Viator,
Ut non hùc ſiccis oculis, illotiſve pedibus accedas.
Cryptam Quam ſpectas, Sacrarium eſt,
Sub Quo pretioſi reponuntur Cineres
Satrapæ nobis, ac Nepotibus æmulandi
EDVARDI MONTACUTI,
Manceſtriæ Comitis, *Mandeviliæ* Vicecomitis,
Kimboltonii Baronis;
Hæredis filii magni Patris *Henrici*,
Cujus invidendas Dotes cum Titulis induit:
Henrici, Hominis perquàm Quadrati,
Legum Teſſeræ; Juſtitiæ Libræ; Pietatis Ponderis, & Menſuræ.

Bello per *Angliam* debacchante,
In tempora totùm turbulenta, dolendus incidit:

Non

Non errore Sui Genii,
Sed à Torrente *Diluvii Sæcularis*, abreptus.
Is enim pro *Parlamento* Strategus alter
In Publicum ſolutus, ſed integro ſibi ſervatus,
Sub malâ Causa, Mentis ubivis Bonæ,
Sub bonâ, Mentis optimæ compos permanſit:
Qui, Temporibus ità nuperis inſervivit,
Ut peritiùs poſteris Imperaret.

Nec Illum, Suſurratrix ſua ſpes ſublactavit, eluſit;
Dùm poſtliminiò redeunte *Carolo ſecundo*,
Redierat Ille Procerum *Proſelytus* è *primis*;
Abindè, Regiæ primores interlucens Planetas,
Mercurius Caducifer. Aulæ *Dieſpiter*.
Aulicorum Propugnator.

Ab Uxoribus quinque, Liberos ſuſcepit multos;
E multis, *Decem* vidit ſibi ſuperſtites:
Quibus (terreſtribus ampliores latifundiis)
Divinas Morum, Virtutumq; Divitias,
Amorem Fratribus; Amicis Fraternitatem;
Singulis, Exemplum
Diviſit, erogavit.

Aliàs à Rege reportavit Dignitates,
Qui præ Aliis promeruit omnes.
Hìnc, in nonnullis Ille Muniis ſedebat,
Vir ab Authoritate ſingulus, quòd fuit a Virtute ſingularis.
Provinciæ ſuæ, Princeps;

Rei-

Reipublicæ Literariæ Palinurus:
Viz. *Angliæ* unius oculi *pupillus*, & *pupilla*,
Vel *Almæ Matris* Academiæ, ſemel *Filius*, & bis *Pater*.
Complexim,
Cantabrigiæ Lumen. *Huntingduni* Pharos.
Weſtmonaſterii Gnomon. *Albaulæ* Horologium:
Quod quidem nuperò, *Maii* quinto,
Sub medium noctis undeciès ſonuerat,
Æternò deinde ſilet;
Illo nempe puncto, mors importunior interrumpens,
Horarii tam Curioſi non modò Motus impediit,
Sed Ipſam Machinam, membratim diſſolvit.

Et ſic extempore Nobis ereptus eſt
Ille Temporum Miniſter, Idemq; Moderator.
Unius ſeculi *Metus*, major Alteriùs *Amor*.
Offendiculum, certiorq; *Fiducia* Principum:
Scilicet Incumbenti *Carolo*, Baculus enodis,
Quo, non candidior, nec in Curiâ Rectior.
Argus illimis, Quo nemo Munii, nec Mentis oculatior.
Stellatus Comes, Comitum Stella,
Soliq; plerumq; prævia *Britannico*:
Ad Regem Clavis. Peregrinis Porta.
Manuductis, Menſa. Commenſalibus, in Convivium;
Humanus ſupra Fidem; Hoſpitalis præter fortunas.

Qui demùm,
Mensâ ſemotâ, Conviviſq; cum Mundo dimiſſis,
Excubiarum, Laborum, Luciſq; longioris pertæſus,
Æternùm, ſibi, ſæculoq; ſeceſſit.

Intereà Lector, ſi *Compendioſæ Veritatis* ſis amans,
Pauculis hiſce, contentus abi.
Sed ſi de Magnificis plura velis *Montacutis*,
Annales conſule, vel potiùs Inclytiſſ. Illos *Boughtonii* Barones
Ipſis fidem daturos Annalibus.

HOC

ELOGIUM SEPULCHRALE,

Quod dudùm ſcripſeram, memini,

Me Cenſuræ Criticæ ſubmiſiſſe Viri

Ornatiſſ. Eruditi, admodùmq; perhumani,

RICHARDI COLING, Armig.

Tribus Hoſp. Regis Dom. Camerariis a Secretis, &c.

Quod, quùm *Vir Ille Generoſior* approbâſſet; Heic inter cætera Nobilium *Elogia Sepulchralia* propriè Typis publicis exaravit *P. F.*

In

IN certiſſimam futuræ Reſurrectionis fiduciam,
Heìc Reliquias depoſuit Suas
Reverendus, Idemq; venerandus Doctor,
MATTHÆUS GRYFFITH, SS.T.D.
*Caroli*q; primi Regis a Sacris.

Cui, primum præbebat halitum, *Londinum*,
Eruditionem verò *Oxonium*,
Ubi tam dextris proceſſit alitibus,
Ut omnium Literarum compos evaderet,
Et omnium Concionatorum Sui Sæculi
Coryphæus audiret.

Nec uſpiam Doctrinæ Dignitati
Sincerioris vitæ defuit Authoritas,
Qui vixit ad eaſdem, Quas præſcripſit Regulas;
Et in Sæculo planè peſſimo,
Optimus elucere nitebatur.
Undè Regis, & Eccleſiæ Privilegiorum
Athleta, par & propugnator, audacior exſtitit.
Et propterea, Bonis ſecluſus, & pluſquàm ſemel incarceratus,
Animo ſemper perſeveravit Illæſo,
Phanaticorum Flagellum; Schiſmaticorum Malleus;
Orthodoxorum Laus, & Elogium.

Nullas tamèn Eccleſiaſticas conſequutus eſt dignitates,
Qui meruerat omnes.
Cœlo verò jam fruiturus Præmiis, ab Invidis heìc negatis,
Annorum, laudumq; ſatur, vivis exceſſit:
Et ab ædibus Generi ſui Generoſiſſ. *Ludovici Nappeir* Armig.
Ad hanc Ædem de *Bladon*, cum Mœrore maximo delatus.

Præsuli primùm Reverendo,
Et pro Spectatâ Morum Moderatione,
Literarum Profunditate, Vitæq; Sanctimoniâ
Ubivìs Venerando,

Eruditiss. Graviss. Humanissimoq; Domino,

D. EDOARDO RAINBOW,

Dom. Episcopo Carleolensi, *Suæq; Diœceseos*
(Quam vix cùm proprio maximè dispendio)
Agili, Patrono, Propugnatoriq; Pientissimo.
Interdùm, Ædis Cathedralis Petriburgi *Decano;*
Primitùs autèm Coll. Magd. Cantabrigiæ
Dilectissimo diù Magistro,
Ibiq; (præter alios) Nobiliss. Howardorum Suffolc.
Digniss. dudùm Tutori.

Hoc Elogium Caroli Howard *Comitis* Carleoli
Ipsi propriè Dom. Episcopo Carleoli,
Et Istius Comitis Amici perquàm Cordato,

Dicavit, & devovit Author P. F.
Dicti Coll. Magd. Artium quondam Baccalaureus,
Et in Agro Cumbrienſi, *Militum nuperò Serviens-Major.*

ELO-

ELOGIUM SEPULCHRALE

Nobiliſſ. Conſultiſſ. Fortiſſimiq; Satrapæ

CAROLI Comitis de CARLILE, &c.

Peregrinis, & Poſteris.

Si neſcias Advena cur hoc fleturiens deſudat Marmor,
Edoceberis,
Quòd heìc Illunis, *Stella*, Terris exciderit.
Stella notæ planè Primariæ,
Suâq; Sphærâ, nullibì ſecundæ.
Stella Septentrionalis, Ibiq; *Temonis* Auriga *Carolini.*
Geminæ Provinciæ Jubar, & Genius.
Suorum Præfectus, & Sui.
Authoritate Magnus. Obſequio Major.
Seipſo Maximus,

CAROLUS HOWARDUS,

Carolus, Gratiâ Regali,
Comes *Carleoli*, Vicecomes *Morpeti*, Baro *Dacres Gilſlandi.*
Carolus Affectu Nativo,
Cor *Cumbriæ*. Popularium Pulmo. Numen NAWORTHI;
Quà præſentior adfuit, & interfuit,
Filius, & Hæres. Cœlebs, & Sponſus. Pater, & Avus.
Conjugis Amor. Spes Pignorum. Fides Nepotum:
Quibus Præfuit, Idemq; profuit
Dominus, & Parens. Præſes, & Princeps:
Heros Majeſticæ Frontis, itidẽmq; Perſonæ.

Vir.

VIr ad Artem compoſitus, nil habens Artis;
Corpus Pancraticum. Syſtema Syderum.
Naturæ Complementum.

Quid plus vis Viator? Genus inquiris?
En! Egerminavit ex *Howardorum* Stirpe Ducali
Stirps altera.
Effronduit ex Nobiliſſimo *Norfolciæ* Libano
Cedrus Æmula;
Quæ longùm florida Saltubus exſurgens *Aquilonicis*,
Rivales *Orcadum* Polo, *Thule*q; Pelago propagavit Ramos;
Nè per *Britanniam* vacaret Inſignior Angulus
Quo, non nidificantes *Howardorum* culminarent *Aquilæ*.

Quid ultra? Petis etiàm *Vitæ* Compendium?
Sub dubio Sydere, dubium Fatum ſubiit, ac Fortunam:
Primitùs *Scotiâ*, deinceps *Angliâ*:
Par utriùſq; *Palæſtræ Pila*, nec impar ſub utroq; *Periculum*.
Ut Avita nempè Patrimonia
Sequeſtrali damnanda Decreto, Dextrâ Redimeret,
Siniſtrâ Fidem Senatui ſignavit;
Foris, in communem conſultò cadens *Scyllam*,
Ne damnaſiores Domi *Charybdes* incideret.

Sic Adoleſcens,
In Ludo *Martis*, primo proluſit Prologo;
Sed mox Mutatâ *Britanniæ* Scenâ
Mercurius, alio Spectandus Theatro,
Sub *Carolo* Secundo prodiit Actor è Primis;
Secunduſq; Nemini. Inter

Inter Comites Sanctioris *Ipsius* Concilii
Co-optatus Comes.
Ad Supremum Parlamenti Concessum
Citatus Satrapa.
Ad Potentissimos *Europæ* Principes
Bis Princeps Legatus.
In maximi Momenti Suscipiendis, *Hermes.*
In Agendis, *Dædalus.* In Consummandis, *Apollo:*
Undè, latiùs illustraverat
Coronæ Splendorem. Regum Fidem. Regnorum Pacem.
Penatum Dignitatem.

Sed proh! Fata magnificis ominosa Cœptis
Quæ medio Vitæ, Gloriæq; Curriculo
Properantem stiterunt Orbitam,
Ipsumq; vel heic in Terris, *Cœlo* Candidatum,
Cœlituum Choris heu, citò nimìs asciverunt;
Dulce Suorum Desiderium
Magno *Carolo*; *Cumbriâ* Dynastisq; *Britanniæ*
Propè, Dissitéq; Condolentibus.

Ad perennandam, latéq; Proseminandam
Tanti Principis, Mecænatisq; munifici Memoriam
Hoc fleturienti Calamo, Quod dudùm suffudit Elogium,
Publicis nunc Typis Impressit, Posteríq; consecravit

P. F. *olim Militum Serviens-Major.*

Viro

Viro quaquaversùs Ornatißimo,

Vetuſtißimæq; ſuæ Familiæ quondam Cantiano,
Nonnulliſq; ſæculis agro Gloceſt. *perantiquæ,*
Ornamento non vulgari;

Fortißimo, Conſultißimo, Generoſißimoq;

Honorabili Col. HENRICO NORWOOD,

E quatuor Regis Corporis Stipatoribus,
Armigero primario.

Urbis & Munimenti Tangereti,
Omniumq; Ditionum in Affricâ
Tangeretum *Terrâ, Mariq; circumjacentium,*
Multis Annis digniſſ. Gubernatori,
Et Coloniæ Virgineanæ *Theſaurario.*

Necnon nuperò Civit. Gloceſt. *Prætori,*
Hodieq; pro dictâ Civitate
In hoc Angliæ *Magno* Parlamento
Senatori, &c.

P. F. *hoc* EPITAPHIUM *officiosè*
dicat, devovetq;.

Paren-

PARENTATIO

Generosis Manibus

FERDINANDI FISHERI,

Equitis aurati,

Juxta *MONAM* Insulam,

Anno M. DC. XLVI.

Naufragio absorpti.

ODE Gallica

Pagano Fishero,

Fratri Pientissimo, atque Amantissimo,

Inter *Anglos* Poetas & Milites Primipilari.

In Amicitiæ μνημόσυνον Dicata

Ab amico ipsius multis nominibus colendo,
Eruditiss. omnifariàmq; Ornatiss.

D. Petro de Cardonell.

RETNES, des noires Deſtinées
Vos, de qui le fatal ciſeau
Diſpoſe à ſon gré du fuſeau,
Sur qui ſe fillent nos années ;
Dirés-vous jamais c'eſt aſsés ?
N'aves-vous point les bras Laſsés
De cou, perchés *l'Anglois* des trames ?
Et comme eſclaves d' *Acheron*,
Fournir à tous momens des ames
A la Nacelle de *Charon* ?

L' horreur des Diſcordes Civilles,
Qui de tant d' Heros engloutis
A peu vos ſanglans appetits,
Et depeuplé tant de Familles ;
Ne pouvoit elle triompher
Par la ſeulle rage du fer,
De l' heur de ce *Recoin du Monde* ;
Sans que voſtre intereſt jaloux,
Allaſt chercher iuſques dans l' onde
Des inſtrumens de ſon Courroux ?

Sont

Sont ce là les fruits de l' hommage,
O *Roy !* de l' humide Element,
Qui ſont deus au reſſentiment
Ou le Sceptre *Anglois* vous engage ?
Tant de bons offices paſsés
Sont-ils ainſy recompensés,
Au mépris de tous ſes *Monarques* ?
Que vous ſecondiés les complots,
Des plus noirs Miniſtres des Parques
Par l' inſolence de vos flots ?

Quand le glaive affamé moiſſonne
Ces hauts Exemples de valeur,
Mars ſemble avoir quelque couleur
D' attenter contre leur perſonne,
Leur êclat peut bleſſer ſes yeux,
* Et Leurs raions trop glorieux,
Former la vapeur de ce Foudre,
Dont la jalouſe Ambition,
A moins que de reduire en poudre
N'aſſouvit point ſa paſſion.

* Εἰκὼν Βασιλικὴ Chap. 2. § 1. *Men who move in a high ſphere, and with a vigorous luſtre, muſt needs (as the Sun) raiſe many envious exhalations, which condenſed by a Popular* Odium, *are capable to caſt a cloud upon the brighteſt Merit and Integrity.*

Car la Mort eſt moins inhumaine
Aux cœurs nourris dans les Combats,
Quand ce Dieu ne leur donne pas
D'autre diſtrict que ſon Domaine ;
Et quand la Terre ouvrant ſon flanc
Reçoit le pourpre de leur Sang,
Ils pleignent moins leur Deſtinée ;
Mais d'eſtre abiſmé dans les flots,
Eſt meſme au ſens du *Brave Ænée*
* Un ſort indigne des Heros.

Là celuy qu'autres fois *Achille*,
Vit ſous les rampars d'*Ilion*
Plus fier & vaillant qu'un Lion,
Deffendre les murs de ſa Ville ;
Et ſans crainte d'aucuns hazars
Signaler dans le Champ de *Mars*,
La fermeté de ſon courage ;
Teſmoigne de l'eſtonnement,
Aux premiers aſſauts que l'orage
Luy livre ſur cet Element.

* Servius ad locum *Virgilii*, 2 Æneid ...*O tèrque quatèrque beati !*
Queis ante ora Patrum, atque altæ Mœnia Troje, &c.

La

La valeur eſt comme liée
Deſſus cet Empire inconſtant ;
Le plus ferme eſprit eſt flottant,
La plus haute ame humiliée ;
Et quand Neptune eſt irrité,
La Vertu perd ſa liberté,
Et ne brille plus dans ſa Sphere ;
Car ſon luſtre è clatte bien moins
Aux actions qu'elle peut faire,
Quand elle à ſi peu de témoins.

C'eſt là le ſuiet de nos larmes,
Brave ame, à qui tout l' univers
Avec l' offrande de nos vers,
Doit les premiers honneurs des Armes ;
La meſure de noſtre deuïl
Seroit moindre, ſi ton Cerceuïl
Euſt eſté le Champ de Bellone ;
Où l'on vit ton fer autres fois,
Deffendre la *Triple-couronne*
Par tant de ſignalés exploits.

Noſtre douleur poignante & fraiſche
Auroit un plus doux aiguillon,
Si commandant un Bataillon
Tu fuſſes cheu ſur une Bréche ;
Où que dans tes derniers efforts
Jonchant la campagne de morts,
Ton bras euſt fait ſa Sepulture
Dans le flanc de ſes Ennemis,
Et vengé ſur eux la Nature
Des grands Crimes qu'ils ont commis.

Comme un Cheſne de qui la cime
Fuyant le commerce des yeux,
Va cacher juſques dans les Cieux
Sa perruque Auguſte & ſublime ;
Quand le fer à ſappé ſon tronc
Chancelle, & tombant de ſon long
Abandonne ſa vieille ſouche ;
Puis deſcendant comme un éclair,
Entraine tout ce qui le touche
Deſſus la Terre, où dedans l'air :

Ainſy l'on auroit veu ſans doute,
L'orgeuil des *Titans* abbatu,
Sous les efforts de ta Vertu
Souffrir une injuſte déroutte :
Ton bras à vaincre accouſtumé,
N'auroit pas ſenti des-armé
Les froides ſueurs de la Tombe ;
Et la Parque euſt avec plaiſir
Veu choir ſous toy mainte Hecatombe,
Avant qu'elle euſt peu te ſaiſir.

De ton ſang la terre trempée,
Euſt fait renaiſtre ſous tes pas
Mille Legions de Soldats,
Plus vaillans que ceux de *Pompée* ;
Et le déplaiſir de ta mort
Compenſé par un ſi beau ſort,
Euſt moins ſolicité nos Larmes ;
Si quelque acte de ta valeur,
Par un dernier Chef-d'œuvre d'armes
Euſt conſolé noſtre douleur.

Mais, que dis-je ? cette Pensée
Semble ton merite offencer,
Que l'on peut aſsés rehauſſer
Du prix de ta vie paſſeé ;
Tant de vaillantes actions,
Dont chés les autres Nations
Ton courage à donné des marques ;
Sont-ce pas des traits ſuffiſans.
Pour graver en deſpit des Parques
Ta gloire au Regiſtre des Temps ?

Laiſſons donc ta Mort, que l'evie
Ne ſcauroit meſme controler ;
Chercans dequoy nous conſoler
Dedans l'Hiſtoire de ta vie ;
FERDINAND, tes braves exploits
Parlent encor chés l'*Hollandois*,
Ou tu fis ta premiere Eſchole ;
Le *Rhin* s'en ſouvient tous les jours,
Et quand ſa Naïade en cajolle,
C'eſt le plus beau de ſon diſcours.

WILLE-

WILLEMOT, de qui les Servicés
Et les attentats glorieux,
Ont eu ſouvent dedans ces lieux
Des applaudiſſemens propices ;
Ce fut premier dans ton giron,
(Ainſy qu' *Achille* ſous *Chiron*)
Que ce Brave apprit à combattre ;
Sa maiſon eſtoit ſon harnois,
Et lors qu'il ſe vouloit ébattre
Ses feſtins eſtoient des Tournois.

Sur le pré ſouvent la Victoire
Sans bruit, ſans ſuitte, ny teſmoins
Ne le favoriſa pas moins
De ſes ſuccés remplis de gloire ;
C'eſt là que ſa vraye valeur
Sans fard, ny ſans fauſſe couleur,
Monſtra ſon coloris illuſtre ;
Ailleurs bien ſouvent les hazars
Où le nombre ; donnent du luſtre
Aux Coyons, autant qu'aux *Céſars*.

Ainſy de ſes jeunes années
Le tiſſu riche & precieux,
Meritant d'eſtre dans les Cieux
Fillé par d'autres Deſtinées ;
Puiſque ſa Magnanimité
Tendoit à l'Immortalité,
Devions nous pas bien nous attendre ;
De voir ſuivant les loix du Sort,
Les fruits meurs d'un age ſi tendre,
Choir aux ſécouſſes de la Mort ?

Mais quand le vaſte ſein de l'onde
La reçeu dans ſon Element,
C'eſt que tout autre Monument
Eſtoit trop petit dans le Monde :
Thetis de *Nacre* & de *Chryſtal*,
Au lieu de Porphire où metal,
Luy à fait une Sepulture ;
Où les Tritons reciteront
L'hiſtoire de ſon aventure,
Tant que les Aſtres dureront.

Autant

ODE.

Autant de fois que de Neptune
Le Trident vient frapper les bords,
De ce froid & liquide Corps
Qui ſuit le branle de la Lune :
Quand *Nerée* avecques ſa Cour
Vient ſaluer deux fois le jour
L' Occident & la rive More,
Ses flots ſe changeront en voix,
(Tant que Phebus ſuivra l'Aurore)
Pour publier ſes beaux exploits.

Mais ſi les couleurs de *Paranaſſe*
Doivent ton image ébaucher,
Brave FISHER, pourquoy chercher
D'autre pinceau que dans ta race ?
* Ton Frere mignon des Neuf Sœurs
Poſſedant toutes les douceurs
Qui peuvent couler d'Hippocrene,
C'eſt par trop, choquer la raiſon,
Que d'emprunter, une autre veine
Les Eloges de ta Maiſon.

* Paganus Fiſher, *frater defuncti, unus inter Anglos Poëtas privi nominis, & Autor Carminis Heroici de* Bello Eboracenſi, *&c.*

P. de CARDONNEL.

FINIS.